

J. 186.

2

AMPHIBIORVM  
PHYSIOLOGIAE  
SPECIMEN ALTERVM  
HISTORIAM ET SPECIES GENERIS  
STELLIONVM SEV GECKONVM  
SISTENS.

---

AD<sup>o</sup>  
VIRVM DOCTISSIMVM  
JOHANN. HENRICVM LINCK  
SERENISSIMO SAXONIAE ELECTORI  
A CONSILIIS COMMERCIORVM  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM  
SOCIVM et cetera.

---

SCRIPSIT  
IO. GOTTLLOB SCHNEIDER, SAXO,  
ELOQVENT. ET PHILOG. PROFESSOR.

---

EDITIO REPETITA.

---

ZÜLLICHOVIAE,  
APVD FRIEDERICVM FROMMANNVM.

1797.

AMPHIBIEN  
PHYSIOLOGIAE

DE CIRCUITO SANGUINI  
HISTORIA ET TABULARIA  
ALPHONSI AVICENNAE

ANATOMIA HUMANAE  
HOMINIS PHYSIOLOGIA  
TABULARIA



Stellionis nomen latinum simplex, graecum varium et multiplex, multis, praeter fabulas de origine poeticas, veneni dolofitatisque criminibus, contraque quibusdam etiam diuinationis viriumque corporis medicamentosarum argumentis a scriptoribus graecis et latinis fuit celebratum. Huius igitur historiam dignam censem, quam collectis atque inuicem comparatis scriptorum, qui quidem exstant, omnium veterum testimonis atque auctoritatibus, diligenter enarrarem. Cui deinde adiungam e recentiorum scriptorum libris collectam generis huius specierum singularum notitiam accuratam atque historiam, vnde lectori confiare possit, cui animalium reptilium generi stellionis nomen affignari, quocum recentiore nomine comparari, quaque denique fide veterum scriptorum de hoc genere animalium narrationes censeri debeant.

Antiquissimi scriptoris graeci locus de stellione Aristophanis exstat in Nubibus, versu 170 vbi galeotem facit sterlus in Socratis coelum intuentis faciem de lacunari testi deiicientem; vnde arguitur galeoten (*γαλεάτην*) muros et parietes usque ad lacunar perrepere solere. Hanc eius naturam tradit etiam Dioscorides in Praefatione ad Alexipharmacam p. 397. ed. Sarac. vbi,

ut venenorum noxae caueantur, in teclis diligenter obseruanda laquearia esse praecepit; saepe enim ex alto animalcula venenata veluti phalangia et ascalaboten decidere et cibos vinumque subiectum inficere. Idem testatur Marcellus Empiricus c. 33. p. 277. ed. Cornar. Lacerti, inquit, appellantur sive stelliones, qui per parietem repunt, curti sunt, quique graece ascalabotae vocantur. Antipodes terram habitare ait Plutarchus de Facie in Luna p. 634. ὁσπέρ Θῆτας η γαλεάτας, id est, veluti stelliones, supinos scilicet, in terra nobis opposita. Aristoteles H. Anim. IX. 9. supinum ait ascalaboten incedere, veluti picum ex arbore descendantem. Scilicet per parietes et lacunaria repens muscas atque alia insecta persequitur, quae eibum ei praebere solent. Hesychius sub voce καλώτης saltu ait coloten muscas capere. Augustinus Confession. X. 35. quid, inquit, cum me domi sedentem stellio muscas captans saepe intentum fecit? Hinc auctor Kyranidum graecus stellionem xylobaten, i. e. lignorum scansorem et parietum, seu toechobaten appellat. Scilicet xylobates vulgari sermone graeco vocabatur tunc, qui antiquo calabates et calabotes, scalabotes et ascalabotes dicebatur a ligno sicco quod graece κάλον est, et ambulando; Βάτης, Βάτης. Dum igitur parietes et laquearia supinus perreptat, et muscas araneasque captat, (araneis enim vesci testatur Aristoteles H. A. IX. r.) saepe in cibum potumque subiectum decidit. Vinum atque aquam, cui decidens stellio fuerit immortuus, innoxia homini esse in potu afferit Aeliamus IX. 19. contra oleum stellionis morte infectum male olere, atque eum, qui inde gustarit, pediculis subito quasi ebullire ait. At Plinius 29. sect. 22. e stellionibus malum medicamentum fieri tradit. Nam, inquit, cum immortuus est vino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit. Ob hoc in vnguento necant eum, infidiantes pellicum formae. Remedio est otii luteum et mel ac nitrum. Cum Plinio facit Articenna IV. 6. 2. 5. Caro, inquit, stellionis mortificat, et quandoque cadit in vino, cui immoritur et dissoluitur. Hoc qui biberit, vomitu et dolore stomachi vehementer conflictatur. Deinde aduersus venenum hoc in cibo aut potu ingestum eadem remedia quae contra cantharidas commendat. Atque haec

ad

ad illustrandum Aristophanis locum dicta abunde sunt. Quo-  
vero rerum natura artificio pedes stellionis perreptandis parieti-  
bus lacunaribusque incessu supino accommodauit, nemo scri-  
ptorum veterum enarrare opeiae duxit pretium. Observatione  
autem recentiore constat artificium omne pendere a soli pedum  
lamellis vel foliis quibusdam succo tenaci, ex glandulis aliquot  
scaturiente, imbutis, quibus facile rebus vel laetissimis, veluti  
ranae arboreae tuberculis glutinosis soli digitorum, adhaerent et  
quasi agglutinantur.

Antiquitate secundi scriptoris auctoritatem nunc inuesti-  
gabimus. Is est Aristoteles; cuius loca breuiter ponam. Asca-  
laboten per hiemem conditum latere, exituas vere poneare, mare  
foeminam maiorem esse tradit, eundemque cum reliquis lacer-  
tis nominat Hist. Anim. VIII. 15. 17. IV. 17. de Incessu anim.  
c. 15. Sed idem H. A. IX. r. asino inimicum nominat colotem;  
dormire enim ait in praefepibus asini, eiusque narcs subeuntem  
impedire quominus cibum capere possit. Alberti versio ibi mor-  
sum rattum inepte pro colote nominat. Mirari hic subit, cur  
Philosophus subito nomen mutauerit, si καλώτης idem est qui  
σκαλαβότης, vt Gramatici cum Plinio affirmant. Colotis et  
laceritis caudas (amputatas) renasci tradit Plinius IX. sect. 46.  
velut ex Aristotele; sed is in H. A. II. 17. simpliciter lacertas  
(σαύπας) et serpentes nominat. In Italiae quibusdam locis mor-  
sum ascalabotae letalem esse refert in H. A. IX. 1. Au<sup>t</sup>or nar-  
rationum mirabilium c. 160. Siciliam cum Italia, et ipsum stel-  
lionem galeoten nominat; praeterea in Graecia debili esse mortu-  
addit. Vnde igitur Plinius 8. f. 49. Theophrastus au<sup>t</sup>or est,  
anguis modo et stelliones senectutem exuere eamque protinus  
deuorare, praeripientes comitali morbo remedia. Eosdem  
mortiferi in Graecia morfus, innoxios esse in Sicilia? Nisi forte  
Plinii oratio a librariis fuit vitiata; quae suspicio doctis Plinii in-  
terpretibus iam olim in mentem venerat.

Tertium locum Nicandri poetae auctoritati dabo, cuius  
haec est breuis stellionis notitia ex Theriacorum verl. 483. et se-  
quen-

quentibus a me conuersa. Exilis, inquit, Ascalabi sunt etiam infesti morsus, quem fama est a Cerere esse conuersum, cum Triptolemi pueri Metaneirae membra morsu suo laesisset circa puteum Gallichorum in Attica terra versantis, vbi Metaneira Cererem domo sua exceperat oberrantem et filiam Proserpinam querentem. In quo loco conuertendo Gorraeus a vero aberrauit ~~ετιδανος~~ vilem interpretatus; reclusus humilem cum Eutecnio paraphraste dixisset. Idem Eutecnius Ascalabum interpretatus est ascalaboten; et Scholia graeca admonent ascalaboten ab Atticis scriptoribus proprie galeoten vocari; cuius sententiae testem habemus locum Aristophanis poetae supra positum. Similium lacertis esse addunt. Nomen ascalabi eandem originem habere videtur cum ascalabote, dialectorum graecarum varietate immutatum. Hesychius nomen *καλάβας* explicat apposito notiore *καλαβάτης*. Idem *καλαβίσας* ab Argiuis vocari refert colotas; denique a Magnetibus ascalaphum ait vocari calaphum. Etymologiam ex verbo *ἀσχάλευ*, indignari, et fabula de Cereris in Ascalabum ira deriuatam affert Epaphroditus in Commentariis ad Hesiodium, cuius locum posuit Etymologicum Gudianum manuscriptum, quod olim apud S. R. Kulenkampium inspexeram. Ascalaphum nominat in eadem fabula Ouidius Metamorphof. V. 440. seq. consentiens cetera cum Nicandro, cuius longiorem ex Metamorphoseon (ipse *έπεριψενα* dixerat) libro excerptam narrationem posuit Antoninus Liberalis cap. 24. Vterque enim Cererem iratam potionis sibi oblatae reliquias offusilie Ascalapho refert; unde Ouidius: *combibit os maculas, et qua modo brachia gestit, crura gerit; cauda est mutatis addita membris; inque breuem formam, ne sit vis magna nocendi, contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est; apicumque colori nomen habet, variis stellatus corpore guttis.* Euentum his verbis narrat ex Nicandro Antoninus: *ἐγένετο πονίλος εἰς τῷ σώματος ἀσκαλάβως*, i. e. et transmutatus est in varium corpore ascalabum seu stellionem, quem dii hominesque oderunt; habitat iuxta canales et in locis cauis; (*παρ' οχεον*) et quicunque eum occidit, gratum faciet Cereri.

Oui-

Ouidii locum de forma stellionis ex tota antiquitate vni-  
cum posuit etiam Isidorus Orig. XII. 4. Stellio, inquit, de co-  
lore nomen habet inditum; est enim tergore pictus lacentibus  
guttis in modum stellarum; de quo Ouidius etc. vbi animad-  
uerto rectius ab Isidoro tergus quam ab Ouidio corpus pictum  
stellis dici; de quo deinceps in specierum historia disputabo.  
Hinc pendet interpretatio loci Pliniani 29. s. 28. quem totum  
ponam annotationibusque aliquot illustrabo. Scorpionibus, in-  
quit, contraria maxime in vicem stellio traditur, ut visu quo-  
que patorem iis afferat et torporem frigidu sutoris. Itaque oleo  
putrefaciunt eum, et ita ea vulnera perungunt. Quidam oleo  
illo spumam argenteam decoquunt ad emplastrum genus, atque  
ita illidunt. Hunc graeci coloten vocant et ascalaboten et galeo-  
ten. In Italia non nascitur. Est enim hic plenus lentigine, stridore  
acerbi, et vescitur, quae omnia a stellionibus nostris aliena-  
funt. Hucusque Plinius! vbi vetustae Editiones scriptum ha-  
bent *herba vescitur*. At idem Plinius XI. s. 26. Chamæleonum  
stelliones quodam modo naturam habent rore tantum viuentes,  
praeterque araneis. Quae nisi de genere Italico voluit nos in-  
telligere Plinius, alterius loci sententiam vix explicare licet,  
etsi vel sic satis inepit non vesci italicus stellio dicitur, qui aere  
araneisque simili vivat! Stridorem acerbum graeco stellioni a  
Plinio adscriptum suspicabatur Conr. Gesner. Quadrup. Ovip.  
Histor. p. 86 et 89. falla interpretatione loci Nicandrei, vbi  
*βρύγμα* non solum morsum sed etiam stridorem dentium auide  
et gulose cibum durum vel ossa mandentium significare possit.  
Verum nulla equidem loci Nicandrei vestigia in Plinii narratione  
satis expressa reperi potui. Praeterea debebat esse in Plinio:  
*cum stridore acerbo vescitur*. Stridorem hunc stellionis acerbum  
agnoscemus deinceps in variis generis Linnaeani Gecko, ab ipso  
hoc stridore vocabulo Arabico appellati, speciebus, quae Plini-  
nae narrationis fidem asserunt. Odium scorpionis et stellio-  
nis mutuum commemorat etiam auctor libri de Theriaca ad Pi-  
lonem cap. 9. et Aelianus VI. 22. unde argutas scorpionem a stel-  
lione conquiri ad cibum, velut etiam araneas.

Italicum a graeco vel transmarino stellione pluribus in lecis distinguit, vbi medicinas ex animalibus petitas enarrat; Ita stellionem capsulis inclusum febricitantium capiti subiici libro 30. f. 30. narrat, vbi sedl. 18 et 19. stellionem transmarinum, id est graecum, quasi ab Italico diuersum, nominat. Idem XI. f. 30. magnam, inquit, aduersitatem oleo mersis scorpionibus et stellionibus putant esse, innocuis duntaxat iis, qui et ipsi carent sanguine, lacertarum figura. Atque scorpiones in totum nullis nocere, quibus non sit sanguis. Quo in loco vix genus innocuum stellionum intelligere licebit, sed potius scorpiones innocuos dicit Plinius stellionibus, qui sanguine careant, lacertarum figura.

Italicum igitur stellionem Plinius a graeco non solum morsu innoxio sed stellarum etiam seu guttarum tergoris et stridoris acerbi absentia distinxit. Vnde mihi suspicio nata est intelligi genus Italicum illud ipsum, quod Galliam australē etiam sub nomine Tarentae notum habitat, quodque voce aequa atque omni veneni criminatione carere testatur Gallus  
*De la Cepede.*

De noxa stellionis graeci delapſi ex teſto in cibum potumue ſubiectum testimonia ſcriptorum veterum ſupra posui. Veneni ex lamellis ſoli pedum ſuccique glutinofis ibidem ſcaturientis noxam in cibos deſtillantem eos, quos ſuperingreditur reptile animal, notam etiam habuisse ſcriptores romanos arguo ex loco Festi grammatici hoc: Stellionem, inquit, genus aiunt lacertae, quod Verrius dictum ait, quia virus ſtillet cibo, potius quam quod alii a stellarum ſimilitudine, quia varium eſt. Etymologiam ſatis ineptam nunc omitto; de ipſo lamellarum ſoli venenato ſucco deinceps ex auctoribus Arabicis exponam.

De habitatione ſtellionis et vernatione ſatis dictum eſt in priore Specimine p. 16. Addo Arnobii testimonium, qui ſub ſimulacrorum cauis nidulari ait. Stellionem fauos aluearium ingressum deprædari cecinit Virgilius Georg. IV. 243; ſed non  
tan

tam ipsos fauos quam apes peti a stellionibus certum esse puto. Columella de Re rustica IX. 7. vbi locum Virgilianum repetit, venenatum nominavit stellionem, nescio quo iure. Virgilius enim non tam certum aliquod genus laceriarum, sed omne earum genus ab aluearibus remoueri voluisse videtur; hinc eiusdem libri versu 13. absint, inquit, et picti squalentia terga lacerti pinguibus a stabulis. Generatim enim lacertas omnes, praecipue autem crocodilos terrestres apibus infidiare testatur Aelianus I. 58, vbi simili rationem a mellariis inuentam tradit interimendarum harum aluearium pestium. Polentam ait cum succo ellebori tithymali aut maluae filiestris subigi atque ante ipsa aluearia dissipari, unde lacertae gustantes statim moriantur. Quosdam ante aluearia fato vel disperso croco crocodilos terrestres fugasse refert Eustathius ad Iliad. p. 797. ed. Basil. Quod si fauos ipsos auctori Virgilio ausum fuisse adedere stellionem credere velimus, tum eximiam eius paruitatem inde facile licetbit aestimare, quam quidem foramina in aliis apium reliqua admittere possint. Sed malo Columellae sententiam sequi, qui l.c. lacertum veluti custodem vestibulo prodeuntibus inhiantem apibus exitium afferre ait.

Praeter medicinas ab exuuis aliisque stellionis partibus petitas, quas enarravit Plinius, vnum fuisse eius frequentem in magicis artibus, testantur versus in oraculo Hecatae apud Eusebium Praepar Euang. libro V. et apud Nicephorum Scholasten Synefii p. 361. vbi est de stellionibus: *γεωτι λεπτοῖς κατοικίδιοι σκαλαβάται*, i. e. exilibus animalibus domesticis scalabotis seu stellionibus.

Ad morsus noxam a Nicandro memoratam redeo. Veneni quidem mentionem poeta non facit; nec magis Aetius c. 12. vel Paulus Aegineta. Ille enim haec modo memorat de morsu: dolor vehementer liuorque sequitur mortum: seu malis graece: *οἱ ὑπὸ ἀσκαλαβάτων καὶ τὸ δῆμα πελὸν ἔχεστι.* In libro Pauli gemini capituli inscriptio exstat, alterius *πρὸς ἀσκαλαβάτων δῆμα* dein-

deinde iterum: περὶ γαλεῶτος: utriusque titulo apposita leguntur, verba, quae ex Aetio recitatu. Magno errore Cornarius γαλεώτης scelum interpretatus est! Scilicet a mustelae, quae graece γαλῆ est, similitudine genus varium squalorum seu canicularum marinorum γαλεῖοι seu mustelinum fuit appellatum; unde derivatum est etiam γαλεώτης nomen peculiare singularis alicuius speciei squalorum, quod cum stellione commune habuit apud Athenienses. Quin adeo genus aliquod vatum in Sicilia et Graecia, quod stellionis vocem vel reliquam naturam in vaticinio adhibuisse suspicor, Galeotarum nomine appellatos fuisse monui in priore Specimine p. 81. In eodem interpretando abeberavit etiam Terentius, ubi in Eunucio Act. IV, Sc. 4. colorrem mustelinum ex Menandri γαλεώτης γέρων translulit. De quo errore ita monuit Donatus: Ait autem Menander stellionem animal, quod lacertae non dissimile est maculofo corio. Nempe ad id genus coloris facies exprimitur eunuchorum corporis, quia plerique lentiginosi sunt. Haec grammaticus doctissimus. Contra ineptissima et plane falla ratione Terentium defendere conatus est Editionis Bipontinae Author. Ceterum vel ex hac Donati annotatione constare potest lentiginem stellionis a Plinio dictam intelligi corium eius maculofum. Medicamentum ex stellione vino vel vnguento immortuo paratum faciem bibentis vel illipientis eadem lentigine obducere auctor est Plinius. Morsus venenum ab Aristotele olim in Italiam et Siciliam translatum, hinc etiam amolita est Plinii annotatio. Debilem eius noxam praeter auctoritatem Scriptoris mirabilium narrationum, Nicandri, Aetii et Pauli, arguit etiam dentium fabrica inferius describenda, nisi forte peculiare salinae venenum in morsu stellionis graeci accesserit, quale in quibusdam speciebus agnouit recentior obseruatio, idque a gentibus Indiae orientalis collectum adhiberi ad sagittas imbuendas nouimus.

Stellionatus crimen ab hoc animale translatum vocari apud Romanos testatur etiam Plinius 30. cap. 10. nullum, insquit, animal fraudulentius inuidere homini tradunt; inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Tuniculam exuit

exuit eodem modo ut anguis, sed eam ipse deuorat. Scilicet hominem fraudulentum stellionatorem romani, et certum fraudum genus stellionatum vocabant. Apud Apuleium Metam V. p. 172. Venus de Cupidine suo clandestino Plyches amatore ait: Quibus modis stellionem istum cohibeam?

Glossae veteres apud Salmasium in Homonym. p. 101. ascalabotens interpretantur η κολόσαυρα; quod nomen breuem lacertam significare videtur. Aliae Glossae explicant per vulgare nomen *Samiaminthe*. Simile in Graecia audiuit, *Samia mitor*, Bellonius, et ad lacertam Chalcidicam translatis, sed male, iudice Salmasio Exercit. Plinian. p. 1161. Hodiernum hoc stellionis in Graecia nomen cum proprio Orientis vocabulo *Sammith* comparauit Bochart Hieroz. I. p. 1083, qui duas stellionis species ab Arabibus memorari docuit, alteram maiorem *Sammbras*, alteram minorem *Wezga* appellatam. Vocabulum prius leprosum vel leprae maculis infectum significat; lepram adeo et venenum Sammabrae affixat Damir Arabs. Alkazuinus Sammabram ait esse alwezgo, id est stellionem parui capitis et longae caudae; et carnem eius super puncturam scorpionis positam remedio esse cum Damir Arabe refert. Alibi iidem stelliones arabice nominantur guezgi. Lepram generari addunt Arabes esu salis, in quo volutatus fuerit, aut mucilaginem emiserit stellio. Ex quibus argumentis Bochartus collegit Arabum Sammabram eundem esse cum ascalabote graeco, quanquam Auicenna eodem vocabulo interdum de vulgari lacerta usus fit.

Alterum nomen speciei minoris arabicum *guezgus* interpres latino-barbari in *guasgon*, *guaves*, *vasga* mutarunt; denique obtinuit locum per Linnaei auctoritatem aequo vitiosum nomen Gecko; et si quidam scriptores recentiores ipsum hoc nomen Gecko similitudinem stridoris acerbi ab animale interdum editi aliquo modo reddere affirmant. Sonum singularem voci ranarum non dissimilem edere in ipsa Arabia annotauit Hasselquist. Itiner. p. 358. Linnaeus stellionis nomen translatis ad lacertam, quam a Graecis crocodilum terrestrem appellatam fuisse docui in priore Specimine; alterum vitiose *calotes* scriptum alien-

no etiam generi apposuit. Inter recentiores scriptores qui stellionis nomen cum arabico Linnaei Geckonis comparauerit, neminem noui praeter Italum Paoli, cuius librum *della religione di Gentili per riguardo ad alcuni animali* Part. III. laudatum legi a Cel. Blumenbach Compend. Hist. natur. p. 267. ed. teriae; quam tamen notitiam omillam nunc nescio qua de causa video in Editione quarta. Inde forte posuit vir doctissimus Geckonem Linnaeanum venenato pedum lamellatorum secco infarem habitate regnum Neapolitanum. Omnem hanc viri egregii annotationem translatam recepit Gmeliniana System. Editio, Geckonique Linneano adiunxit.

Haec ita disputata ad scriptorum antiquorum notitias illustrandas abunde esse poterant videri, nisi annotationum meorum fides contemplanda ipsa rerum natura et recentiorum scriptorum testimonio esset confirmanda. Transeo igitur ad notitias a scriptoribus disciplinae in primis Linnaeanae de hoc animalium reptilium genere proditas. Primus autem Linnaeus duas huius generis species descripsit, sed reliquis lacertis immiscuit, nec in proprium sibi genus separatas rededit; quod satis longo tempore interuerso postea facere ausus est Ios. Nic. Laurenti in Synopsis Reptilium edita Viennae Austriae 1768. conatu laudando quidem magnopere, sed euentu non satis prospero. Duabus enim a Linnaeo descriptis speciebus tertiam adiunxit quidem nomine tenus, sed notis certis nullis distinxit. Generis etiam vniuersi notas nec omnes, nec satis apte nec certa satis fide enarravit. Quod in tanto viri docti acumine nemo facile mirabitur, qui cognitis demum plurimis eiusdem generis animalibus certas atque indubitatas eius notas reperiri et definiri posse ipse experiencingo repererit. Tandem in nupera Systematis Linnaeani Editione a Cel. Gmelin curata species Linnaeanas ex genere stellionum in unum locum congregatas et notis quibusdam sed non satis accurate a reliquis distinctas vidi. Plures equidem species notas habeo, quam viri docti hucusque descriperunt, vnde notas plures certas et ad videndum apertas cogitatione transluli atque vniuerso numero accommodauit, quem a reliquis lacertis peculiari generis nomine eoque latino et antiquo *Stellionum* distin-

singuam, singulariisque specierum formam et historiam seorsum enarrabo.

Generis characteres certos, partim novos et a me reperitos, enumerationi ipsi specierum singularium subiungam ex uno numero collectos. Hic vero statim ab initio notas a Laurentio p. 34. positas coarguam. Corpus ait esse totum teneris minutisque squammis tectum, aequale, torosum et nudum. Vbi statim manifestum est corpus nudum in epte memorari iuxta squammas teneras et minutas. Caput ingens recte notatur; cui licebit adiungere oculos grandes. Male sequuntur maxillae multicae, quas nec in uno quidem exemplo reperi potui. Digitos vtrinque membrana auctos, subtus eleganter lunulato-imbricatos, aequales, incrassatos, apice crassissimo subgloboso, vngue recurvo, supra enato, deflexo, squamulis usque ad apicem imbricato, non satis accurate in tribus speciebus a se enumeratis annotauit Laurenti. Primum artus breues crassos ponere oportebat; deinde digitos crassos, vtrinque membrana auctos et ex parte contextos more auium quarundam remipedum veluti tringarum; his addere solum articuli secundi digitorum foliatum vel lamellatum, foliis transuersis, aut simplicibus, aut diuisis et lunulatis, succo glutinoso scaturientibus; denique vngues aut nudos prominentes desuper, aut vagina squammulata teclos, in superiore articuli digitorum secundi parte extantes, atque infra exsertiles inter lamellas soli diuisas. Hos perfoliatos, illos nudos vngues deinceps nominabo. Ani rimam transuersam recte notauit Laurenti; sed quod addit adultis dorsum et occiput tuberculis raris muricatum esse ac caput demum grandescere, nec in omnes species cadit, et partim falsum est. Caput enim statim natis grande est et planum, deinde pro portione reliqui corporis increvit annis. Corpus est omnium exilibus conicis et densis squammulis teclum et veluti loricatum, quas intersinguunt in aliis scuta squammis latis confexta, lucentia, que dorsum occupant, in aliis tubercula angulata et acuta, per series disposita aut sine ordine dispersa per dorsum caudam et caput. Ultimam posuit Laurenti habitationem in domibus Indiae; potius incessum per parietes et lacunaria supinum muscas et in-

fecta alia confectionis et solo digitorum lamellato et succoso velut agglutinati annotare debebat. Aliqui tamen stelliones arbores ascendunt, ibique praedam insectorum captant; plurimi eandem cum homine habitationem frequentant etiam extra Indiam in Europa australi.

Laurentio successit Houttuyn in Actis Vliessing. Vol. X. p. 321. qui has generis Geckonum notas definiit. Corpus magis humile et latum, quam altum, paruis squammulis testum, caput latum trigonum, anticum obtusum, collum tenue vel breue, oculos grandes, auricularum tympanum manifestum, an rimam transuersam, pedes breues, quinque dñit̄ diuisos, subtus globulos (*Kwabben*) soli instar gerentes. Vbi quid displiceat, fatis intelligere possunt lectores ex annotatione notis Laurentianis addita. Lubet tamen admonere tympanum auricularum in plurimis lacertis manifestum oculis patere; in solo chamaeleontum, scincorum, tritonum et salamandrarum genere latet in profundā aurium cauitate, aut cuticula corporis communī obtegitur. Pedum dñit̄ antici quaterni adsunt in specie a Gallo De la Cepede descripta. Solum digitorum male globulatum dixit, quod lamellis diuisum est. Sed solas has soli digitorum articuli secundi ne quis fatis esse putet ad agnoscendum genus Geckonum, admonebo easdem a me repertas esse in lacerta aliqua, quam cum descriptione Linnaei sola comparatam principalem esse existimabam. Hanc scilicet Linnaeus digitorum articulos penultimos latiores subtus gerere ait Amoenit I. p. 286. n. 11. vbi picturam simul sed pessimi generis posuit. Per hanc vero lacertam natūram opificem a reliquarum lacertarum forma sensim et gradatim ad stellionum genus transitum facere voluisse, suspicari licebit.

Nunc specierum singularum enumerationem et descriptionem aggredior, primamque collocabo eam, quae prima in notitiam virorum doctorum peruenit, seruato etiam antiquo nomine, cuius originem antea demonstrauimus.

1) *Stellio Gecko. Dorso scutulis rotundis recto pedum soli lamellis indiuisis, unguiculis nudis, pollicibus muticis, poris femoralibus in abdome concurrenitibus.*

Pri-

Primus accuratius hoc animal notauit Linnaeus in Amoenitate Academ. I. p. 133. vbi hunc eius characterem posuit: Lacerta cauda tereti mediocri, pedibus pentadactylis, digitis cristatis imbricatis, corpore verrucoso. Simul pollices vtrinque vngue carere recte annotauit. At diuersam speciem, priori simillimam, tractasse videtur, quam altero loco in Amoenitate I. p. 292. callis corporis, cauda annulata atque vnguium absentia distinxit. Deinde cum vir egregius lacertarum a se ipso vel ab aliis descriptarum familiam cogere atque in Systematis sui ordinem et regulas redigere coepisset, animumque vniuersae reptilium multitudinis admirandae varietati notis quibusdam distinguenda magis quam peculiari singulorum animalium formae et naturae intentum distractumque in varias partes haberet, accidit errore humano nec facile in tali opere eauendo, vt in numero magno non agnosceret, quas singulas antea sibi occurrentes ipse appellauerat nominibusque suis recte distinxerat. Mentionem scilicet vnguiculorum omisit Linnaeus etiam in decima Systematis Editione; eadem tamen Geckonis appellatione vtrunque animal in Amoenitate descriptum comprehendit. Postea nescio qua auctoritate permotus digitos subunguiculatos auresque concavas adiecit. Hasselquistii, disciplinae suae alumani, notitiam iam antea commemorauerat, qui pariter digitos vngue carere affirmat. Huius igitur notitiam ex Itinerario p. 356. excerptam et in compendium redactam hic ponam. Caput dicitur oblongum, subrotundum, in vertice depresso, lateribus protuberare; (Latera dicere videtur maxillas carnosas, ceterum aequales vrasque, eodem teste.) rostrum longiusculum declive et parumper obtusum. Nares in extremo rostro positae, sibi vicinae, tuberculis aliquot cinguntur. Oculi grandes sphaericci, variis coloris, parum protuberant. Spatium inter oculos medium sinuatum, supra oculos statim editum: Palpebrae orbiculatae, tenues, marginite crenato: Aurium foramina perpendicularia, ampla, semilunari figura. Dentes vtrinque minuti, densi, acuminati, ferrati. Lingua lata obtusa; gulae facies extrema plana, glabra; margo maxillae inferioris squammarum gemina serie obsitus. Collum satis longum, vtrinque a lateribus

bus atque infra constrictum, supra conuexum. Corpus oblongum lanceolatum, extreum substrictum, dorso et ventre depresso, lateribus conuexis et protuberantibus. ( Pedum anteriorum femora ouata cylindrica crassa, inferius angustiora, cruribus longiora; crura vt in anterioribus esse dixit. Vbi malefemora dicuntur in anteriores artibus, quae ad posteriores pertinent. Praeterea eo vocabulo omnis artuum anteriorum forma male signari videtur. Inepte etiam figura cylindrica ouatae adiungitur. Totam igitur hanc notam velut inutilem inclusi). Digi<sup>t</sup>i vtrinque quini, omnes figura et numero aequales, longitudine differunt; exteiiores enim paulo breuiores sunt, cylindrici, supra glabri, subtus transuersim crenati, apice cristato vel lobulato, ita vt lobulus medio sulco vel sinu per longitudinem distinctus vtrinque in lamellas multas longitudinaliter diuidatur, margine crenata. Vngues nulli. Cauda teres, gracilis longitudine reliquum corpus aequat. Ani rima transuersa. Totius animalis longitudine pollicum quatuor, pedum pollicis vnius, maxillarum latitudo dimidii pollicis. Caput, truncus et pedes, laeua; dorsum totum punctis minutis, eminentibus, splendidis, abdomen foraminulis minutis sparsum. Squamiae molles satis magnae spatium paruum inter lumbos subtus tegunt. Caput, dorsum et cauda supra albida cum maculis transuersis griseis sine ordine positis; gula, venter et cauda subtus albida. In hac notitia falso lobulus pedum subtus longitudinaliter in lamellas diuidi dicitur, sinu etiam longitudinali lobulum distingue. Lamellae enim seu folia membranacea foli digitorum sulco per longitudinem diuisa, transuersae atque imbricatae inuicem sibi incumbunt. Vngues in vagina super articulis digitorum latentes atque eminentes oculos viri docti fugisse videntur. Longitudo pedum anteriorum non eadem esse potest, quae posteriorum, vtpote in hoc et reliquis lacertarum generibus omnibus longiorum. Habitantem Cairi in Aegypto domos atque extra oberrantem vedit, sonumque peculiarem ex gula prodeuntem, ranarum voci non dissimilem, noctu inprimis edentem audiuit Hasselquist. Venenum ex digitorum lamellis in manum tangentis destillans pustulas minutas cum rubore

bore et dolore excitabat, qualem ab vrtice contacta oriri nouimus. Salem et salina saepius bestiola sanie digitorum inficit, quae deinde cum cibis ingestis colicas passiones vehementissimas inferre solet.

Sed hunc stellionem ab eo, quem hoc primo in loco describere volui, plane diuersum esse demonstrant lamellae soli digitorum medio fulco diuisae, vnguiculique absentes vel potius in vagina reconditi, et retrahiles; cum is, quem nunc intelligi volo, lamellas has integras, nec diuisas, vnguesque digitorum liberos et nudos, exceptis utrinque pollicibus gerat. Addidit Linnaeus Bontii locum de Salamandra indica, quem infra sub nomine Stellionis maculati rectius positum reperies. Bontio subiunxit Gronouii locum Musei II. p. 78. n. 53. sed is comparauit cum salamandra sua (ita enim animalculum vocat) picturam Britanni Edward in tabula 205. inter aues positam, quam eandem ad lacertam Turcicam, Geckonum titulo insertam, retulit Gmeliniana System. Linn. Editio. Igitur Gronouii auctoritatem velut dubiam interim omittam, eiusque in locum succedet descriptio a Pol. Erxleben proposita in *Physic. Chemisch. Abhandl.* T. I. p. 352. qui pollices muticos recte obseruauit. Denique Linnaeus comparauerat in Editione decima Sebanas picturas I. tab. 108. fig. 2 — 8. postea indicauit tantum figuras 1. 3. 5. quae omnes animal pingunt cute maculosa, cum scutis rotundis minutis, cauda terete absque verticillis seu annulis, et digitis omnibus vnguiculatis. Prima figura in nucha et dorso verrucas eminentes ostendit; quare eam ad stellionem eum refero, quem postea accuratius describam; vngues vero pollicibus ab ipso pictore non satis cauto additos esse suspicor. Reliqua enim forma plane conuenit cum hac prima stellionum specie. Laurentianae descriptionis nimis breuitas impedit, quominus viri doctissimi auctoritate abuti possim. Satis accurate descripta vulgarem Geckonem et pictura bona praeterquam nimis minuta exprefit Gallus De la Cepede p. 413. Tab. 29. cuius notitiam in breuitatem iustum contractam nunc ponam. Caput grande, fere triangulare, oculos pariter grandes gerit, dentesque acutos et linguam planam, squammulis minutis vestitam, primorem crenatam.

(Ver-

(*Verba revétue de petites écailles* a linguae natura plane aliena, suo loco excidisse errore typothetae puto, et ad ipsum caput pertinere.) Totum paene animal verrucis plus minusue eminentibus obsitum est; femora infelix occupat series tuberculorum perforatorum, qualia in multis lacertis viri docti viderunt; poros vel papillas femorales alii appellant. Post anum vtrinque tubercula trina obsident latera. Digitorum solum occupant squamiae transuersae, ouatae, imbricatum fibi inuicem incubentes, mediae paululum sinuatae; (*échancrees*) digitorum margines addita ambit membrana, eorumque basin aliquatenus coniungit. Pollices vtrinque vnguibus carent, quos ceteri digiti gerunt breues, curuos et acutos. Cauda plerumque corpore paululum longior interdum breuior est, teres, tenuis, annulis diuisa seu verticillata. Colorem omisit Gallus, et reliquam notitiam contexuit locis Bontii, Valentini et Hasselquisti mire inuicem permisitis atque animali alieno oratione sua accommodare conatus est. Addidit etiam lacertam Siamensem sub nomine *Tokaie* a Loiolae Ignatii asseclis descriptam olim, cuius historiam deinceps tradam.

Turbas auxit magis quam minuit Houttuyni auctoritas, qui primam Geckonum speciem talem descripsit, quam *perlasi* nomine appellavit, nulla Linnaei facta mentione. Corpus squamatum obsident verrucae pernularum instar, ita ut maiores minoribus cingantur. Caudam conicam, corporis fere longitudine, modo ab initio, interdum paene usque ad finem annulatam, in aliis annulorum vestigio omni carentem, pernulae minutae occupant. Digihi omnes vnguiculati sunt. Conuenire addit omnes Sebanas 1. tabulae 108. picturas cum hac forma; quae sane omnes pollices quoque vnguibus augent. Quae quidem diversitas non impedit tamen Cel. Gmelinum, quominus notitiam Houttuyni ad Linnaeanum Geckonem referret, notasque inde exceptas Linnaeanis admisceret.

Equidem nunc breuiter notabo eum Geckonem, quem intelligi volo, cuiusque plurima exempla ipse tractavi et diligenter inuestigavi. Collum occupant scutula rotunda mucronibus mediis eminentia; ventrem squamiae polygonae et fere rotundae obsident maiores, quam dorsum. Totum corpus supra et  
ad

ad latera loricatum conspicitur scutulis rotundis crebris, quae perlarum nomine indigitare videtur Houttuyn. Maxillae superiores squammam primorem labialem sursum versus sequuntur tres aliae minores, quibus utrinque ad latus apposita apparent narium foramina. Digitorum soli lamellae transuersae, imbricatae, integrae nec sulco diuisae sunt; pollices vnguisbus carent in hoc et deinceps dicendo bifurcifero et perfoliato stellione, quorum locum in hoc et bifurcifero occupant squammas longae, latae, firmiter adhaerentes, nec ipsius articuli finem excedentes. Papillae femorales in medio abdomen utrinque concurrunt, angulumque satis acutum efficiunt; caudae annulos satis manifestos nunquam vidi. Verrucas post anum utrinque trinas a Gallo De la Cepede pictas non magis in hoc stellione reperi; sed binas utrinque positas ostentabat stellio bifurcifer. Maxillarum musculos masseteres crassos atque utrinque protuberantes habet hic et perfoliatus stellio; contra in bifurcifero maxillae in loco isto magis tenues et aequales conspicuntur. Quam diuerositatem miratus statim inuestigare causam coepi, dissecloque exemplo ficco vulgaris huius stellionis osseam capitis compaginem rimatus sum. Tum vero vidi processum zygomaticum, in lacertis plerisque partibus diuibus compositum, quarum vna partem orbitae posteriorem concludit, altera cum hac coniuncta et retrorsum protensa processu temporali descendenti et ossi maxillari communi adiungitur, plane ut in cranio tritonum, salamandrarum ranarum et bufonum, deesse in hoc stellione et perfoliato; contra in bifurcifero eundem adesse et musculos masseteres cum temporibus compescere atque impedire, quominus tam longe lateque protuberent. Obiter nunc addo os commune maxillare latus anticum expansum atque inflatum gerere in vesicam semioualem tenuissimam et pellucidam, tympano superientenso seruientem, cuius pars conuexa orbitae concava occipiti obuersa est. In nullo autem lacertarum genere, quarum plurimas dissecui, cavitatem tympani tam capacem reperi!

Redeo nunc ad Geckonem ab Hasselquistio descriptum; quem quominus ad hanc primam speciem referam, impediunt variis tuberculis aliquot cinctae, digitorum soli lamellae diuisae,

G

vngues

vngues vel absentes vel in vagina conditi, corpusque totum laeue. Contra puncta minima, eleuata splendentia, per totum dorsum sparsa si velis interpretari squammulas brettes conicas, quibus dorsum sit loricatum et veluti granulatum, possit animalis notitiam eam referre ad perfoliatum stellionem. Neque enim vlibi squamarium, tuberculorum, verrucarum vel scutorum mentionem facit Suecus, nisi quod paulo post squammulas amplusculas, molles, spatium minimum inter lumbos subtus tegentes addit; quas interpretari euidem non possum. At enim vero *foraminula minima per abdomen* si poros femorales in abdomine concurrentes interpretari velimus; neque enim vlla alia ratione intelligere possum, quae foramina dicere voluerit; tum vero a stellione perfoliato plane aliena est haec notitia.

Eandem dubitationem attulit mihi Galli De la Cepede species altera, *Geckotte* dicta, quam ab eo falso cum mauritanico Linnaei stellione comparatam fuisse infra docebo. Poris enim femoralibus carere, et digitorum lamellas vnguesque simillima Geckoni habere ait, quod vtrumque in mauritanicum Linnaei non conuenire reperi. Simillimum Geckoni esse arguas ex Galli oratione, qui difficilime ab eo nullisque aliis notis distingui ait, nisi corpore caudaque crassiore et breuiore et pororum femorali absentia. At idem statim subdit tubercula vel aculeos, quibus corpus pedesque obfici sint, quosque in occipite, collo lateribusque teretes acutos minoribusque tuberculis cinctos dispositosque certo ordine. (*en forme de rosette*) Quibus tuberculis crebris et acutis in toto mauritanici stellionis corpore conspicuis quid simile exstat in Geckonis corpore supra toto scutulis rotundis planis, in collo vero paucis mucrone vel tuberculo acuto eminentibus tecto, vt difficulter a Geckone hic alter stellio distingui vere dici possit? Quod ad caudam attinet, eam in iuniore animalculo verticillis aculeatis vel mucronatis diuidi ait, cum aetate vero omne verticillorum mucronumque vestigium sensim abire, et caudam tunc multo breuiorem simul et crassorem, miranda profecto nec vlo modo probabili mutatione, nisi a mutatione profecta fieri quam in iuuentute. Errorem aliquem Gallo ex aliena narratione obortum suspicarer, nisi plura se ex omnibus

omnibus orbis terrarum regionibus in Museum regium allata exempla traclasse atque intucem comparasse professus esset! Ceterum animal Gallo descriptum Gallicam Prouinciam frequens habitat inter parietinas et in ipsis domibus, vulgoque audit *Tarente*. Apricari in sole amat, loca humida et frigida fugit; hiemem in rimis atque inter tegulas latens transfigit; nunquam sopore sepultus frigore tantum torpescit. Ceterum incessu et moribus Geckoni simillimus, voce pariter et veneni suspicione omni caret.

Stellionem Siamenfem nunc videamus sub nomine *Tockai* descriptum a Missionariis Iesuitis, quorum notitia germanico etiam conuersa sermone exstat in Tom. III. p. 81. Perralti Dodarti et Charrasii Dissert. ad Hist. natur. spectantium. Huius summam primum repetam. Stellio hic *Tockai* vulgo appellatur a sono, quem interdu etiam saepius usque ad duodecimum numerum continuo repetit. Habitat arbores domosque Indorum, quanquam veneni suspicione damnatus. Longitudo pedem, crassitatis versus ilia duos et dimidium pollicem paulo excedit, longitudinis partem dimidijs cauda occupat. Corpus superne cuticula granulata et colore rubro caeruleoque variegata vndatum tegitur, dorsum multis conicorum mucronum pallide caeruleorum ordinibus per longitudinem positis horret; venter squammatus colore cinereo maculis rubeis crebris sparsis pingitur. Caput ingens fere trigonum iuxta colli commissuram lineas 18 latum 13 crassum, medium depresso, rostro obtuso. Oculi grandes protuberant, aurum foramina plusquam digiti latitudine ab oculis remota retrorsum, ouata, diametrum orbitae dimidijs aequant, lingua crassa. Pedum digiti vnguisbus curuis et acutis armati subtus appositae lamellas seu folia membranacea ouata gerunt, quibus bestia laeuisimis corporibus quasi agglutinata haeret. Dissecta cor inter artus priores situm ostendit, pericardio inclusum absque vlo aquae vestigio; pericardium ipsum utrinque alligatum lateribus, obliquo situ ascendit viamque subtus liberam transeunti arteriae asperae relinquit. Infra cor pulmo situs in medio corpore in duos diuiditur lobos; iecur a cordis parte latiore et superiore sub pulmone descendit, laterique finistro corporis lobo sinistro adhaerens ventriculum totum desuper

obtegit. Cauitatem thoracis sepimentum membranaceum discriminat. Ventriculus pollices 2 et lineas 10 longus, albus, linearum sex interuallo supra pylorum naturam cartilagineam assumit; intestinum duodenum rubeum apparet. Longitudo intestinalium a pyloro usque ad coecum anfractuosorum polices 7 lineas 10 aequat, crassities sensim decrescit, densitate tamen eadem seruata. Coecum vermiculis intestinalibus setaceis tres lineas longis, albis scatet. Iecinoris figura pyramidalis lobis duobus longis diuiditur, quorum uterque iterum in duas minores lacinias diffinditur. Vesica biliaria, colore coeruleo, oualis, conuexae iecinoris parti inter medios lobos maiores adhaeret. Pulmonis lobi duo pollices 2 lineasque 9 longi membrana tenui, pellucente et vesiculis innumeris aereis referta constant. Trachea breuis recta, lata, diametro lineas duas aequat, annulis firmis densisque cartilagineis composita. Glottis rima longa ad perpendicularum fissa patet. Larynx cum parte superiore tracheae cuticula tenui nigra vestitur, quae eadem totum besliae palatum obducit. Figura apposita, satis elegans, digitorum lamellas membranaceas, ouatas, integras ostendit, vnguiculosque omnibus attribuit. Caput ingens nullo modo planum; potius conuexum appareret, pupillae rima verticalis; series mucronum in quincuncem positae a collo usque ad caudam extremam, nullo verticillorum vel annularum vestigio, eadem pertingunt, artusque omnes occupant. Quare non dubitauerim hunc stellionem pro mauritanico Linnaei habere, quocum forma eius plane conuenire videtur. Gallus Le Gentil in Itinerario, Voyage dans les mers de l'Inde T. II. p. 450 edit Parif. monuit hunc stellionem in insula Manilla ab incolis **Chacone** ab Hispanis colonis **Toco** vocari, atque hoc posterius vocabulum rectius vocem animalis imitari quam alterum **Tockaye** vel **Tokkai**. Sed ecce! noua suboritur dubitatio de natura animalculi ex altera Galli Tachard relatione Siamensi p. 76. vbi pictura stellionis apposita simillimum Geckoni, corpore ubique squammulis minutis granulato, pedibusque omnibus vnguiculatis, nullo vero mucronum vestigio, ostendit. Oratio Tachardi promittit nouas socii **Beze** observationes de animalculo iam antea ab eo dissecpto et descripto; vbi sine dubio intelligitur notitia fine

aucto-

auctoris nomine post Perralti Dissertationes edita et a me repetita.  
 Sequuntur deinde viri docti annotationes, pleraque anatomicae, quas repetere nolo, nisi quod lingua satis crassa et rotunda, palatum colore violaceo tinctum esse dicitur, orisque introitum in vtraque maxilla series dentium exilium cingere; denique veneni suspicione bestia absoluitur. Difficultatem ita mihi expedire posse videor, vt vtrumque stellionem in regno Siamensi frequentem oberrare dicam; atque vtrumque pictum voluisse dare Tachardum; ad hunc alterum a priore plane diuersum refero annotationes ab eo denuo additas, quanquam palatum violaceum in nigrum facile transire posse putem vietu aut vehementer aliqua irae commotione. Ceterum hanc eandem stellionis speciem in insula Sumatia frequentem Cokay nominat, et magnitudine ab altera minore domestica distinguit Britannus Marsden p. 136. vers. gerim. Vtrumque aut ab incolis per vocis imitationem aliquam vocari Tschitschah. Stelliones autem intelligi docet pedum rugosorum mentio adiecta, reptatusque supinus per lacunaria annotatus, Obiter addo stellionis aliquam speciem in ora Indiae Malabarica Pali vocari, testante Gerbett Relation. Indicar. p. 114.

Priusquam ad reliquias stellionum species describendas progedior, alium Galli Dela Cepede satisque grauem errorem castigandum hic existimo, quoniam notas generis stellionum scincorumque ab eo confusas esse video. Scilicet is nouam scinci speciem descripsit et pinxit p. 378. tab. 24. sub nomine barbaro Mabouya; quam arbores scandere et testa Indorum, in rimis parietinarum habitare, tempore demum aestiuo inde prodire, interdum etiam pluvia instante, quam sono quodam vocis quasi prouocet, aliena fide Britanni Sloane II. tab. 273. fig. 7. et 8. et Gallorum Dutertre Histoire natur. des Antilles II. p. 315. et Rochefort p. 147. refert. De Britanni loco nunc non dispupo; vocis enim habitationisque in arboribus testorumque fastigiis, a fabrica naturaque scincorum tam alienam, duxit ex ciuium suorum narratione Gallus. Primum miror auctoritatem in hac disputatione aduocari Galli Rochefort, quippe qui cuius sui Dutertre librum satis indiligerent totum exscripterit. Hic vero,

Duterre, sub eodem nomine *Mabouya* lacertas duas plane diuersas annotauit, quarum una ad scincorum genus pertinet, in tabula addita picta, quam picturam repetiit cum notitia Rochefort. Alteram ait pedis longitudinem non attingere, digitos gerere latos, planos, fine rotundo, vnguiculatos. Pictura vtrinque yngues quinos ostendit. Hanc arbores domorumque contignationes et tecta scandere, pluuiam noctu clamosa voce nunciare, irritatamque assultare hominem narrat. Pictura addita pedum digitorumque stellionum formam satis bene reddit; corpus maculosum appetet, punctisque in medio dorso obstitut. Cauda corporis longitudinem vix aequat. Prior scinci notitia paene verbo tenus cum descriptione Britanni Sloane conueuit, nec dubitare nos patitur, intelligi scincorum genus aliquod. Contra alteram pictura addita docet pertinere ad stellionem insularum Americanarum. Confirmat me Galli Plumier auctoritas, cuius inter picturas nondum editas zoologiae Antillanae plane gemina pictura stellionis Antillani reperitur cum adscripto nomine *Lacertae chalcidiae*. Hoc tantum mutat triplex Plumeriana delineatio, quod vngues in vagina couditi latent ut in perfoliato stellione; digitorum soli lamellae imbricatae fulco diuise sunt, cauda corpore brevior, ab initio annulata est, infimisque venter late protuberat. Corporis tegumentum pictura nondum absoluta omittit. Eadem tabula Plumeriana, numero 142, distincta, iuxta egregie pictum sistit scincum auratum Linnaei.

2) *Stellio bifurcifer*. *Linea alba ab oculis per medium dorsum ultra regionem ani protensa, vtrinque furcata, cauda vix corporis longitudine, primori verticillata, extrema anulis albis cincta, superne etiam lineata in fine; corpus supra scutulis crebris guttatum; lamellis digitorum indivisis, vnguis nudis, pollicibus muticis; serie pororum femoralium longa vtrinque.*

Primam eius notitiam dedit Index Musei Linckiani. Vol. I. p. 68. vbi a linea furcata lacerta Ypsilon vocatur.

Deinde sub nomine Geckonis vittati descripsit et pinxit Houttuyn Actor. Vlieff. T. IX. tab. IX. fig. 2. qui cauda longa tenui albo fasciata, vittaque alba vtrinque furcata corporis superni

perni distinxit a reliquis. Digitos quosdam vnguibus carere, corpus pallide luteo, caudam brunneo colore esse ait: exempla quadam eiusdem animalis absque vitta dorsali furcata vidisse profitetur, patriamque Indiam orientem ei esse suspicatur. Pi-cturam appositam laudare equidem nequeo.

Sub eodem nomine ex Houttuyni descriptione retulit in nouam System. Linnae. Editionem Gmelin, omissa tamen vnguium mentione; contra addidit corpus parum verrucosum.

Denique nuperime sub Lacertae Zeylanicae linea dorsali alba, veluti nouam speciem lacertae descripsit et satis bene pinxit Nau *Neue Entdeckungen und Beob. zur Naturgesch.* Vol. I. p. 254. tab. 17.

Geminum is exemplum ante oculos habuit, alterum minus pollices 5. lineas 9. longum; alterum pedis longitudinem attingebat. Caudam ait fascis quatuor albis cingi, superne planam esse et corporis longitudinem accuare; digitos pedum lobulatos vnguibus exilibus armatos esse addit: vbi miror caudam superne planam dici, et pollices muticos omitti. Pictura colorum, et totam stellionum formam satis bene reddit, pedum vero et digitorum lamellatorum formam nec ipsa descriptio satis assecura est.

Geminum et ipse exemplum pulchri satis reptilis examinavi, alterum Blochianum alterum Rebeltianum. Hoc quidem caudae verticulos decem manifestos, fasciam vnam albam, et tres lineas albas caudae extremae superne ostentabat. Post verticulos inferiorem caudae partem occupant squammas magnae fine ordine positae, quarum mediae maiores serpentium scuta abdominalia aemulari videntur. Inter artus posteriores atque anteriores futurae species quaedam eleuata latera ab abdome squamulis maioribus, vti solet, obsoito distinguit. Exemplum Blochianum eandem futuyam, caudae verticulos viginti, fascias albas duas, et lineas tres superne in cauda extrema absque scutorum vestigiis habet. Tubercula analia, qualia in vulgaris Geckone pinxit *De la Cepede* Tab. XIX. ad literam A. A. manifestiora sunt in Blochiano exemplo; vtrumque pollices muticos, sed squamma lata plana desuper testos gerit.

Cete-

Ceterum miror ab ipso Houittuyno omisam esse notitiam egregiam huius animalis, quam ex Valentini Histor. natur. Amboin. p. 284. conuersam et excerptam ponam. Nominat is reptile *Pandangs Hagadies*. Longam ait esse pollices 10, dimidiadim longitudinis partem cauda occupante: dorsi deinde vittam albam furcatam, caudae tenuis et rotundae falcias albas quinque, vnguiculos acutos digitisque additam membranam, velut in auibus remipedibus, denticulos acutos, linguam acutam, rostrum a naribus usque rubrum annotat, et ipsum animal bene cum vulgari Geckone comparat. Degere dicitur plerumque in frondibus arboris litoralis, quam Belgae *Strand Pandang* vocant; In aliquot Indicibus Collectionum naturalium rerum vendendram Belgicis sub hoc Valentini nomine nouam lacertae speciem memoratam legi; velut in Museo Geuerfiano p. 11. no. 39. nominatur *Le Lizard Pandang de Valentin, brun à raye bifurcée blanche, d' Amboine.* Male igitur Boddhaert in Nouis Actis Natur. Curios. Vol. VII. p. 15. hoc animal ad Salamandrarum genus reuocare conatus est!

3) *Stellio mauritanicus* Linn. *Torus supra mucronibus horrens, cauda fere tota plana, infra squammis laevis media testa, digitorum omnium vnguis nudis, soli lamellis diuisis, lunulatis, imbricatis.*

Hanc a Brandero in Mauritania repertam speciem primus annotauit Linnaeus in System. Nat. eamque cauda subuerticillata breui muricata, apice laeui, corpore supra muricato, pedibus subtus squammatis distinxit. Addidit habitu et figura ad Geckonem accedere animal, sed luridum et ad latera capitis, supra collum, dorsum femora verrucosum esse mucronibus; caudam corpore breuiores a basi ad medianam spinis sexfariam muricata, inde ad apicem laeue esse. Digitos pedum esse omnino subtus lamellofo-squammatos, vt in Geckone, vnguis minimis, subtus totum corpus laeue squammis minimis esse.

Stellionum generi Laurentiano inferuit Gmelin, sed vngues minimos omisit, contra digitos subtus lamellatos muticos addidit, plane contra Linnaei sententiam, qui picturas

Sebae

Sebae Tom. I. tab. 108. fig. 2. 6. 7. laudauit, quae omnes dигitorum omnium vngues manifestos habent.

Laurenti speciem hanc in tres formas diuisit, quarum notas certas non edit. Primam verticillatae nomine appellauit, et caudae plicis maximis extrofsum verticillatis distinxit, laudata pictura Sebae I. 108. fig. 2. 6. Alteram vocauit teretem, cauda terete absque plicis; quam ipse in Museo Viennensi aliquo vidisse profitetur, eoque resert Sebae picturam I. 108. 1. 3. Tertiam verbis ipsis Linnaei sed mutilatis descripsit, nulla auctioritate picturae laudata.

Gmelin comparauit aculeatum Geckonem descriptum ab Houttuyno Aelor. Vlieff. IX. p. 324. n. 3. Ipse Houttuyn similem esse dixit picturae Sebanae I. 108. fig. 6. Caudam inferius planam, ad medianam fere partem anulis incisam, in margine utrinque acuto anuli cuiusque horrente mucrone; inter utrumque mucronem caudam desuper occupant quatuor mucrones maiores, quos quā perlarum nomine potuerit appellare, etiam ubi caudam squaminis maioribus perlarum forma obfitam esse dixit, equidem non comminiscor.

Postquam ipse geminum huius speciei exemplum examinavi et pinxi, audacter affirmo nunquam eam visam fuisse a Gallo De la Cepede, et male ab eo comparatam fuisse cum Mauritanico Linnaei Geckone speciem plane diuersam, Galliae meridionalis incolam. Primum ait difficulter eam a vulgari Geckone distingui, cum tota spinis horreat haec, illa careat. Deinde negat a quoquam notas certas mauritanicae lacertae editas esse, eamque ait a Linnaeo solis caudae verticillis distingui. Qua oratione quid fallius potest excogitari? Deinde tria illa signa, ex quibus facile agnoscit putat mauritanicam vel potius eam lacer-tam, quam ipse Geckotte appellauit, corpus scilicet cum cauda breuius sed crassius et absentiam pororum femoralium, in neutro exemplo meo reperire potui. Itaque mihi persuasi plane diuersam a Mauritanica specie, contra affinem vulgari Geckoni, de-scriptam fuisse a Gallo. Utrumque meum exemplum stellionis Mauritanici plane conuenit cum descriptione Linnaeana; addo pororum femoralium feriem utrinque breuem; caudae partes

tres quartas primas planas, medianam infra squammis fere 37 latis, scutorum in serpentium abdomine instar, testam, foli digitorum lamellas diuisas, vtrinque lunulatas et imbricatas, vnguiculos digitorum omnium nudos. Caudae verticillos agnoscere non potui; ordines etiam mucronum caudalium numero abeunt diuersi. Quod si Siamensis stellio, de quo in primae speciei notitia disputavi, idem est, vt equidem exstimo, Indiam praeterea habitat, et pluviis tempestatei sono saepius repetito eodem praeannuntiat.

4) *Stellio persolitus*. *Simillimus Geckoni*, diuersus absentia scutulorum dorsi, pororum femoralium, artibus breuioribus, colore obscuriore, soli digitorum lamellis sulco diuisis, vnguibus retractilibus, vagina conditis, super extremo articulo eminentibus, infraque per lamellarum sulcum emergentibus, pollicibus muticis.

Hunc sub nomine Rapicaudae (*Knollstaer*) descripti pri-  
mus Houittuyn l. c. et similem Geckoni ab Hasselquist descripto  
esse ait. Cutem aequaliter baccis seu pernulis (perlas ipse vocat)  
obsitam, et brunneo colore maculatam; foli digitorum folia pe-  
culiniformia sulco diuisa esse absque vnguibus manifestis; (*naaw-  
lyks genageld*) caudam ab initio tuberosam, magis deinde rugis  
obseri quam anulis seu verticillis diuidi. Exempla aliquot vidit  
cauda multo tenuiore et longiore; suum pinxit in tab. IX. fig. 1.  
vbi cauda vix dimidiata corporis totius longitudinem tenet; ibi-  
que agnosco in parte superiori digitorum exstantes sed membra-  
na velatos vngues. Color dicitur esse pallidior quam in vulgari  
Geckone; patria assignatur insulis Americanis. Eundem generi  
Geckonum seruato eodem nomine inferuit Gmelin, eumque ita  
notauit: *cauda turbinata, auribus concauis*. Sed caudam ab initio  
tuberosae nota vel falsa est plane et a mutilatione aliqua orta, vel  
certe variat. Primum enim exemplum, quod apud Blochium  
meum impexi, caudam similem vulgari Geckoni gerebat; cor-  
pus erat squamuus minutis conicis loricatum et veluti granulatu-  
rum, absque ullo scutulorum vestigio, quae passim in dorso vul-  
garis Geckonis, velut etiam chamaeleonum, conspicuntur; foli  
digitorum lamellae diuisae sulco emittunt pro lubitu animalis vn-  
gues vagina granulata tectos et super extremo digitorum articulo  
eminentes. Pollices mutici sunt; pedes ipsi vel potius artus vt-  
rin.

rinque breuiores quam in vulgari et bifurcifero stellione; papillae seu pori femorales defunt; caudae quatuor primae partes quintae anulis late distantibus incisae visuntur.

Exemplum Rebellianum dimidiatam Blochiani magnitudinem habet, colore egregie seruato, qui supernum corpus cinereus obducit, brunes variegatus marmoris instar; infra sordide album videre licet: oculos coeruleos pupilla ad perpendicularium diuidente; cauda verticillorum vel anulorum vestigio caret, longitudine corpori reliquo aequalis, conica, squammulis paulo maioribus obsita, quae infra etiam maiores sunt, velut in abdome etiam reliquorum stellionum.

Tertium Musei Academiae Berol. regiae exemplar pallidum absque vlo colore caudam ab initio tenuem deinde subito tuberosam gerebat, plane ut ab Houttuyno satis bene cum toto animale pictam video. Igitur nomen ineptum *Rapicauda* cum altero *Perfoliatus* a natura lamellarum soli digitorum ducto permutaui.

Iam antea dixi speciem a Gallo De la Cepede vocatam *Geckotte* mihi videri esse eandem cum ea, quam descripsi hucusque. Eam ille distinguit a vulgari stellione seu Geckone corpore et cauda breuiore sed crassiore et pororum femoralium absentia. Caudam cum aetate ait crescere in crassitatem, longitudinem vero minui, et anulos eius antea mucronibus eminentes atque horentes paulatim sensimque euanidos fieri. In Provinciae Gallicae domibus oberrantis nec vocem nec venenum incolae agnoscunt. Vnum hoc miror in Gallica notitia, quod dubitationem mihi non leuem assert. Vngues enim Gallus manifestos et conspicuos esse ait.

Denique hoc idem animal memorari pujo a Cel. Hermann Commentar. Tabul. Affinit. p. 251. Lamellas enim soli digitorum diuisas sulco annotauit; vngues abesse afferit quidem vir doctus; verum ex verbis; *digitis muticis dorso carinatis* suspicor vngues in vagina conditos eminuisse super digitorum extremis articulis et visum eius effugisse. Reliqua certe notitia plane conuenit cum hac noua specie a me descripta.

D 2

In

In Gallica Provincia Tarantam audire narrat De la Cepede, idque nomen cum breui notitia retulit etiam Galli Papon Itinerar. Provinc. p. 347. vers. germ. In Italia stellionem Linnaei vulgo Tarantulam vocari tradit Cetti Hist. Amphib. Sardic. p. 71. Apud Vincentium Bellouacensem Spec. nat. XX. Cap. 44. serpentem paruum morfu venenatum Tarantae nomine appellatum legi. Ex narratione Cettiana suspicor Chalcidicam lacertam ab Imperato p. 901. breuiter notatam et p. 919. pictam satis pingui Minerua esse stellionem Linnaei. Dicitur in locis opacis murorumque rimis habitare, trux aspectu, coloris plumbei, extantibus per vniuersum corpus crassis. Vulgo Tarantulam vocari adit, et falso Veterum scriptorum Chalcidicam lacertam esse affirmat.

**5) Stellio Chinensis. Cauda ancipite, digitis omnibus vnguiculatis, facie foraminibus pluribus pertusa.**

Hanc primus sub nomine lacertae Chinensis cinereae cauda ancipieta, corpore paulo longiore, pedibus pentadactylis, omnibus vnguiculatis descripsit Osbeck Itinerar. p. 366. et p. 275. monuit passim per domos Chinensium oberrare et summa cum dexteritate per parietes tapetibus papyraceis laeuisimis teatos reptare aestate, innocuum, blattae genere aliisque insectis visitantem. Caput ipse Osbeck annotauit plantum et latum, dentes crebros, minutos, linguam planam, primorem obtusam atque incisam leuiter; corpus latum planum; latera utrinque compressa; dorsum tuberibus nigricantibus atque albanticibus obsitum; rimam ani transuersum; caudam corpore pauli longiorum, planam, ancipiitem, in utroque latere squammis raris lutescentibus, digitos pedum omnes vnguiculatos, subtus lamellis transuersis auctos; colore corporis supra cinereum, abdomen album, caudam nubeculis undecim nigris variegatam. Non satis intelligo notas sequentes. Oculos tegi ait cuticula, quae iuxta rimam transuersam medium puncta tria aurea posita gerat; narium foramina maiora rostro extremo proxima esse; tria utrinque minora superius esse collocata in lateribus; praeter ea multa minora etiam versus oculos sita esse. Reliquae notae omnes dubitare nos non patiuntur verum stellionem ab Osbeckio descriptum esse. Caudam ancipiitem intelligo verticalem,

qua-

qualem in tritonom genere auctipitem dicere solitus est Linnaeus; dubium tamen facere lectorem potest versionis germanicae vocabulum *platt gedrückt*. Omisit hanc speciem Editio Gmeliniana System. Linnaeani.

6) *Stellio sputator, corporis fasciis transuersis, brunneis vel albis brunneo colore marginatis, squammis nitidis, digitis muticis; cauda tereti, subtus scutorum serie obsoita.*

Ex insula St. Eustachii anno 1755. in Sueciam transmissum primus descripsit et in tabula IV. fig. 1. 2. pinxit Sparmann Neu. Actor. Holmienf. Vol. V. p. 166. vers. germanic. Primus notiae auctor Acrelius annotauit britannicum nomen *Wood Slaue*, atque haec de moribus addidit: passim oberrare in casis domibusque ligneis, parietesque perreptare; vbi si quis proprius adstans inspicere velit bestiolam, facile irritatam hanc spectatorem saliu oris nigra venenata conspuere; quo facto statim locum tactum intumescente; tumorem ipsum illita camphora, spirituue vini leniri. Nocte conditam latere. Formam ipsius ita descripsit Sparmann. Longitudo corporis duos pollices, caudae  $2 \frac{1}{4}$  pollices aequat. Color totius corporis dilute cinereus, cingulis vel maculis brunneis; in quibusdam cingula albicant, brunneo colore marginata. Versus caudam extremam cingula sensim deficiunt, aut in maculam magnam brunneam alba vtrinque minore cinctam transeunt. Color corporis inferioris cinereo lucidior est. Artus pariter maculae striarumque duarum vestigia pingunt. Squamulis minus acutis corpus tegitur; margines maxillarum maiiores squamimae ambiunt, caudam infra linearum aliquot interuallo ab ano series scutorum occupat a parte posteriore latiorum, margine velut absissa est leviter sinuata. Lingua oblonga rotunda, magis tenuis quam crassa, fine leviter diviso. Pedum digiti vtrinque quini absque vnguium vestigio; posteriorum pollices a reliquis digitis separati versus corpus reflecentur. Lamellarum subdigitorum solo nulla fit mentio. Ouum, pluribus lacertae exemplis additum, ab eadem editum creditur, colore cinereo, maculis brunneis nigrisque sparsum; quae varietas in ovis lacertarum mira mihi quidem accidit. Postea exemplum ex insula St. Dominici missum, duos pollices longum, cuius di-

midiam partem longitudinis cauda occupabat descripsit et pinxit Gallus De la Cepede p. 409. tab. 18. Squamiae omnes splendent, color infra albicans, supra griseus brunneo saturate variegatus. Cingula quatuor brunnei, paene nigri coloris, caput dorsumque occupant, sex similia caudam ambient; eiusdem denique coloris limbus circumdat maxillae superioris oram. Aurium foramina non apparent; lingua plana, lata, primore parte leviter incisa. Rostri pars superior et vertex capitis alblicant, nigris maculis sparsa; artus griseo albo et nigro colore variantur. Digi-  
ti vtrinque quinque absque vnguis manifestis subtus additas ha-  
bent squammas parvas et desinunt in globulum vel laminam  
squammatam; (*pelote ou petite plaque écaillée*) addit Gallus hanc  
in nulla alia lacerta a se repartam fuisse. Statim tamen genus  
stellionum subiungit, cuius has esse notas ait: *les doigts garnis  
par dessous de grandes écailles, qui se recouvrent comme les ardoises  
des toits.* Tales igitur squammas si voluit intelligi, ut suspicor,  
nulla potest esse dubitatio, bestiolam ad genus stellionum perti-  
nere, cum reliqua forma notas eius reddere videatur. Scuto-  
rum subcaudalium mentionem omisit Gallus. Alieno etiam ge-  
neri inseruit hanc speciem Gmeliniana System. Linn. Editio.  
Longe accuratiorem descriptionem merebatur singularis lacertae  
natura pedumque fabrica. Similes narrationes de aspide ptyade  
venenum spectatoris ori inspuente veterum scriptorum, et de aliis  
serpentibus recentiorum addere possem, si ad naturam ortum-  
que salinae sputatricis lacertae huius accuratius cognoscendum  
quicquam inde profici existimarem.

7) *Stellio platyrurus, cauda supra conuexa infra plana, media se-  
rie scutorum 56, initio leviter verticillato, lamellis soli digito-  
rum diuisis, lunulatis et imbricatis, vnguis nudis, corpore  
aequaliter squammulis conicis loricato, inferioribus maioribus.*

Exemplum unum Rebellianum inspexi animalis nullibi  
memorati. Caudae infra planae margines vtrinque acuti squam-  
mis longioribus horrent; laterum futuram a laxa cuticula effici  
puto; scutorum dorsi nullum adest vestigium. Dentes minutii  
sunt et conici; color cinereus, fascia brunea vtrinque ad capitis  
latus

latus per oculos ad artus anteriores deducta. Magnitudine naturali pictum alibi ponam.

8) *Stellio maculatus* Bontii p. 52.

Bontius Salamandram Indicam vocat, pedem circiter longam, coloris e viridi dilutioris, quem belgice Seegreen, id est thalasslinum, vocent; interstinctam maculis rubris ac si minio tincta effet, capite bufonis, oculis magnis foede protuberantibus. Gecco vocari ait, quia gecco affiduo sonet, prius edito stridore, qualem picus martius emittere soleat. Dentes esse acutos, fortes; palatum rubrum; digitorum quinis vnguiculis acutis firmiter etiam mortuam adhaerere corporibus. Suspensam a Iauanis de cauda enomere saniem; qua collecta incolas sagittas inficere, eamque ob causam bestiam domi alere solere. De same ad venenum sagittarum inficiendarum collecta consentit Valentyn p. 294. Tom. III. qui vocem bestiae vesperi exaudiri ait similem vocabulo Gekko. Corpus cum capite latum, caudam longam esse; corpus variari maculis rubris, flavis, viridibus et nigris. Addit proditam ab aliis narrationem de bestiola hominem aggressa.

Picturam stellionis huius seculo praeterito extremo in Bataua Indica factam et ab Andr. Cleyero ad Christ. Mentzelium, Archiatrum Electoris magni Friderici Wilhelmi, transmissam coram habeo communicatam ab amicissimo et doctissimo Medico Berolinensi Kurella, in qua coloris varietatem mirandam et scuta dorsi dictis a Bontio coloribus picta cum digitis quinque vnguiculatis et subtus lamellatis agnosco. Reliquas notas eruent quibus ipsum animal tractare atque inspicere contigerit!

9) *Stellio phyllurus; corpore supra tuberculato, cauda mucronibus aspera, post initium dilatata, ceterum gracili.*

Hunc primus sub nomine *Lacertae platura*, cauda depresso plana lanceolata, margine subacuteata, corpore griseo fuso scabro, vnguibus quasi duplicatis, lingua breui, lata integra seu non forficata, apice autem leniter emarginato descriptis et in tabula III. fig. 2. pinxit John White, Journal of a Voyage to new South-Wales,

Lon-

London 1790. pag. 245. Longitudinem pollicum  $4\frac{1}{2}$  habet; caput grande, corpus supra tuberculis asperum, (*tubercles*) in occipitio et cauda mucronibus eminentibus. Corpus infra pallidum colore albicat. Pictura cum capite grandi grandes etiam oculos repreäsentat. Cauda ab initio tenuis subito dilatatur, deinde iterum gracilescit, longitudine trunci. Pedum digitii graciles apparent, anticus posteriores fere aequales; lamellarum soli mentio nulla inest. Vnguiculus quasi duplicitas interpretor tales, quales in stellione mauritanico vidi, corneo scilicet vnguiculorum tegumento ab osse precedente, atque ita duplicitati vnguis speciem ignaro spectatori praebente. Pedum formam negligenter inflectam descriptam et pictam esse censeo, cum reliqua notitia cum ipsa pictura stellionem aliquem loquatur.

10) *Stellio fimbriatus; corporis superiore partem ab inferiore distingueente margine membranacea fimbriata, cauda plana, digitorum soli lamellis sulco diuisis, vnguis vagina conditis, per fulcum emergentibus.*

Hunc nominauit et breuiter notauit Flaccourt Histoire de Madagascar p. 255. et Dapper Descript. de l'Afrique p. 458. Primus accurate a Gallo Bruyeres communicatum descripsit et in tab. 30. pinxit De la Cepede p. 425. seq. Caudam primum ait similem esse salamandrae aquatiae, caput latum planum et trigonum, longitudine fere dimidiata trunci; pictura tamen transuersa multo breuius et frontem decluem ostentat; oculi grandes exstant; pupilla foramine longo verticali patet; corpus infra planum est; collum post caput veluti constrictum. Digitii crassi et breues membrana aliqua inuicem iuncti adhaerent, subtus lamellas sulco diuisas, imbricatas gerunt fere viginti, vngues retractiles, vagina conditi, super articulis digitorum extremis eminent, atque infra per lamellarum sulcum expediuntur. Cauda multo breuior corpore, lata et plana appareat, quoniam vestitur membrana, quae vtrinque addita remi formam similitudinemque exprimit. In salamandra aquatica situm caudae planae esse verticalem, in hac contra bestia horizontalem bene admonuit Gallus, ne quis priore forte comparatione falleretur. Caudam veram

veram per ipsam eius membranaceam appendicem facile discerni idem addit, margine utrinque supra atque infra eminente. Totum corpus squammulis minutis testum et quasi granulatum conspicitur; praeterea pars capititis, trunci artuumque superior ab inferiore discriminatur margine membranacea fimbriata. Quinque huius bestiae exempla ex Africa atque India orientali allata iuuicem comparavit Gallus; quorum maximum pollices 8 et lineas 6 longum erat, unde duos pollices lineasque quatuor demitas caudae tribuere oportet. Color corporis superni varius atque inconstans paulatim vel subito ex rubro in luteum, viridem et caeruleum transit. Infra autem totum corpus colore luteo splendet. In insula Madagascar frequens habitat arbores, vbi cauda ramis circumplicata ramos et surculos amplectitur sedens, aut hinc illinc per frondes saltat, atque ore aperto, intus glutine quadam obliito, infesta captat. Lentus per terram incedit, capite cernuo, sub angulo obtuso corpori et collo adiuncto. Interdiu conditus in arborum cauis latet, unde nisi noctu aut per pluvios dies vix egredi audet. Incolae adspectum venenumque eius timent vehementer, vano tamen timore; morsum enim eius comprehensi innoxium plane expertus est Gallus Bruyeres. Timorem iniucere videtur ignaris incolis incessus bestiae, quae ore aperto trux obuiam occurrentibus ire solet.

(1) *Stellio tetradactylus, praecedenti simillimus, marginis membranaceae absentia, digitorumque numero distinguitur.*

Hunc primus ex Galli Bruyeres notitia secum communicata descripsit, sed alieno salamandrarum generi propter digitorum antidorum numerum inseruit De la Cepede p. 493. Longitudo plerunque pedem aequat, dorsum cute splendida, granulata, lutea, viridi colore, velut in tigre, maculata, collum longum supra gemino ordine squammarum lutearum tegitur; caput planum et oblongum est, oculi grandes, pupillae rima verticalis; maxillae (edentulae,) crenatae; lingua liquore obducta viscose facile infesta captata retinet. Corpus infra squammulis rotundis luteis obtegitur. Digitorum, soli lamellarum, vnguiculorum, caudaeque planae et ovalis forma et fabrica plane conuenit cum

E

specie

specie antecedente, sed absentia membranaceae marginis fimbriatae numeroque digitorum anticornum diuersus abit. Habitat eandem cum priore patriam, vbi vulgo *Sarrubé* audit, non minus ab incolis formidatus, quam alter, timore aequo vano. Tempore pluuiio et noctu frequentior apparet, quam tempestate sicca aut interdiu, syluarumque umbras amat.

12) *Stellio Geitie. Cauda lanceolata, palmis tetradactylis.*

Hanc notam animalculi veneni crimine condemnati, ad Promontorium Spei reperti et a Sparmanno descripti in Aëlis Gotheburg, I. p. 75. picti vero in tabula V. fig. 1. positi ad Gekones retulit Gmelin. Dicitur esse longum vix 3 pollices, variegatum, subtus albicans, cauda pedibusque salamandrinis, veneno et papillis per totum corpus sparsis Geckoni similius. Adit suspicionem Gmelin, forte laruum esse lacertae nondum adulta. Evidem librum ipsum inspicere non potui; igitur de natura huius lacertae iudicare non ausim. Idem Gmelin Geckonum generi inferuit Linnæi lacertam turcicam, nullam, credo, alias ob causam, nisi quod corpus paruum, griseum, punctis fusis irroratum, inaequale et quasi verrucis obfoletis adspersum esse dicitur. Ipse enim Gmelin generis Geckonum notas pedes submuticos sublobatos pentadactylos cum corpore verrucoso esse voluit, quibus euidem confidere non ausim. Nec pictura Edwardii tab. 204. a Linnaeo laudata pedes, latos, lamellatos subtus aut reliquam stellionum formam representat. Video tamen Gronouium Musei II. p. 78. eandem picturam Edwardii ad salamandram suam retulisse, quam ipsam ad Geckonem suum reuocauit Linnaeus!

13) *Stellio Brasiliensis.*

De hoc Marcgraf Histor. Brasil. p. 238. Lacertulus teres 4 vel 5 digitos longus, venenatus, digitis posticis quatuor; corpus totum hepatici est coloris cum albis notulis, in cauda vero albis lineolis, hinc inde etiam aliquantum flavi mixtum. Oculi splendentes quasi vitrei. Piso autem p. 283. Longus 3 vel 4 digitos, posticos quatuor digitos cauda est caeteris latiori et breviori, velocissime mouetur praedamque per infidias venatur, totus veneno

neno turget. Vterque nomen posuit ei vertaculum **Carapopeba**. In qua quidem notitia stellionem non agnouissem, nisi accessisset Collectio inedita picturarum zoologicarum in ipsa Brasilia olim sub auspiciis Principis Mauritii factarum, quam ex dono egregii Principis olim Magno Electori Friderico Wilhelmo datam seruat inter pretiosissima cimelia Regia Bibliotheca Berolinensis. Ibi igitur pictura cum nomine **Caropopebi** exstat in folio 413. coloribus aqua dilutis illuminata, quae idem animalculum fistit coloribus iisdem variegatum, nisi quod caudae lineae albae absunt; praeterea pedum vtrinque digiti quini vnguiculati apparent. Caput ingens cum oculis grandibus et protuberantibus, deinde reliqua corporis forma artusque breues persuaferunt mihi, ut crederem stellionis aliquam speciem intelligi a Pifone et Marcgradio, quamquam digitorum fabricam non plane similem generi huic pictura reddit.

Hanc specierum summam hucusque colligere mihi licuit; ex qua nunc breuiter generis totius notas elicere conahor. Anatomicam interiorum partium descriptionem qui desiderauerit, is interim audeat Sebanas picturas I. tab. 110. cum descriptione. Caput ingens recte annotauit Laurenti; addo oculos grandes, sphæricos, prominentes, rima pupillæ verticali. Plurimorum etiam caput latum et planum est. Artus vtrinque breues crassi. Maxillæ dentium minutorum, acutorum, introrsum verforum seriem vnam vtrinque gerunt; lingua lata, crassa apicem obtusum, leviter diuisum habet. Corporis tegumentum varia est fabrica; quorundam enim cutis squammulis rotundis scutorum instar contexitur, aliorum squammulis conicis minutis veluti granulata appareat; interdum tota corporis artuumque superficies superior mucronibus in ordinem dispositis horret; modo singuli mucrones vel tubercula in collo vel alibi sparsa conspicuntur. Anus rima transuersa patet. Pori femorales quibusdam desunt. Digi pedum aucti marginie membranacea crenata, quae ipsam digitorum basin aliquatenus velut in tryngarum genere contexit; articuli secundi digitorum subtus aucti foliis seu lamellis membranaceis vel cutaneis, transuersis, asperis, imbricatis, succo glutinoso in quibusdam veneni suspecto scaturientibus, vel simili-

plicibus vel sulco medio per longitudinem diuisis; vngues curui et acuti, extremo articulo additi, vel liberi nudique prominent, vel in vagina squammata vel granulata conditi super articulo ipso secundo emnent, atque infra per sulcum medium lamellarum emergunt pro lubitu animalis retractiles, vt in genere leonum catorumque. Hinc incessus animalium huius generis per corpora laeuiissima, parietes et lacunaria tectorum, etiam supinus. Vocem aliis addidit, aliis detraxit rerum natura. Hominem non fugiunt, contra habitationem eandem cum eo frequentant, muscas atque alia insecta captantia; alias arbores, tecta et contignationes domorum ascendunt, hieme in rimis cauisque latitantia. Incessu digitorumque fabrica referre genus hoc videtur ranas arboreas, vt iam ante moniu; reliquarum ranarum, bufonum, salamandrarum et tritonum affinitatem aliquam prodit cranii fabrica supra iam annotata. Accedit non leue argumentum, quod a scriptoribus historiae naturalis recentioribus non raro genus hoc nomine communi salamandrarum fuit appellatum. Atque ipsis adeo scriptorum graecorum latinorumque de salamandra narrationibus admistas hinc inde notas quasdam stellionum peculiares fuisse suspicor, quo factio longe difficilius de natura eius animalis iudicium esse equidem censeo, quam visum est viro doctissimo, Io. Beccmanno ad Antigonum Carystium p. 104. qui salamandram veterum sine controversia eam lacertarum speciem esse pronunciat, quam etiam nunc vetusto nomine appellemus. Huc refero locum Plinii X. s. 86. *eiusdem, inquit, fanie, quae lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili, idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Quae quidem notae magna ex parte conueniunt magis stellionum generi, quorum species aliquot saliuva venenata oris cibos inficere humanoque corpori contactu nocere traduntur. Venientum etiam stellionis cum vnguento cuti illitum inducere faciei lentiginem dicitur. Praeterea salamandram Plinius ibidem animal lacerti figura et stellatum dixit; nunquam nisi magnis imbris prouenire addidit; cui similem recentiorum scriptorum narrationem de stellionibus antea posui. Vinum et aquam salamandra immortua infectum interimere hominem refert Plinius XI. s. 116. Auget  
fce-

scelus salamandrae idem XIX. f. 23. *Nam si*, inquit, *arbori ir-*  
*repit, omnia poma inficit veneno, et eos qui ederint, necat frigida vi,*  
*nihil aconito distans.* Quin imo si contacto ab ea ligno vel pede cruxla  
*panis* incoquatur, idem *veneficium est, vel si in puteum cadat.* Quis  
 vñquam salamandram arbori irrepentem vidit? quod facere no-  
 nūmus stelliones, et multas alias lacertarum species. Nisi vero  
 fallit vulgata Plinii lectio, venenum salamandrae in pedibus adeo  
 magnūm ineffe debet, quemadmodum stellionum pedes vene-  
 num sullare dicuntur. Sed veteres libri Plinii *vel lapide* alii *vel sude*  
 habent scriptum; Vincentius XX. c. 63. ita posuit locum: *Panis*  
*cotius lignis a salamandra contactis interficit.* Denique stellionis  
 nomen postea ad salamandas translatum fuisse testatur Albertus  
 M. de animal. XXV. p. 259. ed. Venetae. *Quod enim*, inquit,  
*Graeci salamandram, nos stellionem dicimus.* Idem in versione  
 libri Aristotelici de vita et morte p. 172. ed. Lugd. *et ea, quae*  
*pelle varia sunt in ventre, quae vocantur stelliones et sunt frigidissima*  
*et pigra animalia.* Reliquam Salamandrae historiam accurate ex-  
 plicare conatus sum in noua Nicandri Alexipharmacorum Edi-  
 tione ad versum 537. Cum Chamaeleonum genere conuenit  
 stellio oculis grandibus sphaericis, nullo canthorum vestigio di-  
 stinctus; colorum mutationem in quibusdam stellionum specie-  
 bus pariter annotatam legimus; denique utrumque genus arbo-  
 res scandit, insectis inhians, nec hominum societatem fugit.  
 Reliquis lacertis annecli videtur media illa specie, quam supra  
 obiter memorauī, quaeque pauciter digitorum articulos secundos  
 subtus lamellis auctos latosque gerit. Lacertam principalem Lin-  
 naeus nominauit, quam dissectam reliqua ossium compage a stellio-  
 nibus plane diuersam esse reperi. Ceterum lamellae digitorum  
 articuli secundi in hac non sunt tam lateae anterius, quam in stel-  
 lione, digitus ipsi multo longiores, nulla margine cutanea aucti,  
 nec in ipsa basi contexti; tertius etiam digitorum articulus cum  
 vngue multo longior prominet.

Ceterum Linnaeus principalem primus descripsit, atque  
 his notis distinxit: cauda subcarinata, crista gulae integerima,  
 dorso laeui: In Amoenit. I. p. 286. no. 11. annotauit caput de-  
 pressum, parumper acuminatum, latiusculum, lateribus parum-

per compressum, variis futuris exaratum; nares minimas supra rostrum; cristam gulae rotundatam minime serratam, margine antica crassiore, instructa radio, utrinque macula nigra et striis albidis; corpus squammis minutissimis testum, abdomen sine scutellis; caudam corpore duplo longiorum, squammis minutissimis, supra paulum carinatam, subtus magis striatam, incisuris demum transuersis in varia segmenta vix manifesta articulatum; pedes omnes pentadactylos, digitorum omnium articulos penultimos subtus latiores quam reliquos, vngues minimos acutissimos; colorem plumbeum corporis, caudae pallidiorem, lituris fuscis. In Museo Frider. Adolph. I. p. 43. addidit caudam subcompressam carinatam; digitos extorsum crassiores. Pictura addita in Amoenit. satis mala cristam gularem solam reddit, pedes inepte imitatur. Habitare dicitur Americam meridionalem, et tribus incertae esse addit Systema Naturae; mihi inter genus stellionum et Iguanarum ambigere haec species videtur. Per ineptam Linnaei picturam stetisse videtur, quominus disciplinae eius alumnus Sparmann in ea agnosceret lacertam, quam prouera nobis venditauit, picturaque longe meliori expressit in Actor. Holmiens. Nov. Vol. V. p. 173. tab. IV. fig. 4. nec errorum viri docti animaduertit, qui in noua System. Editione notiam eius non satis accurate excerptit Cel. Gmelin, et bimaculatum cum Sparmanno vocauit. Hic notas has edidit: caudam carinatam, denticulatam, compressam, corpore duplo longiorum, digitos palmarum plantarumque lobatos. Recte idem annotauit lamellas soli digitorum deesse digito minimo utrinque, sed falso imbricatas esse negauit. Minus latas si dixisset, assentirer. Acrelius, qui plura eius bestiolarum exempla ex insula St. Eustachii transmiserat, haec in schedula adiecta annotauit: Habitare inter arbusta, ibique fibilo prodi; oua in terra deponere, laqueo obiecto scirpeo facile capi. In Pensyluania etiam reperiundam, terram arboresque cauas et aquae ductus habitare. Colore vario; quosdem colore saturate coeruleo, ora maxilarum flavefcente. Hunc tamen colorem nullum exemplar ab Acrelio transmissum Sparmanno repraesentauit, contra omnia colorem supra caeruleum dilutum, hinc inde in viridem transfeun-

feuntem et maculis nigris sparsum, infra albidum ostentabant.  
 Quaedam reliquo corpore pura maculas humerorum duas gran-  
 des habebant, vnde Sparmann bimaculatam appellauit. De pi-  
 ctura hoc etiam admonebo, figuram capitum trigonam atque  
 vtrinque angulatam aequae male expressam esse atque formam di-  
 gitorum. Lamellae enim extremitate articulo additae subtus et cum  
 ipso digito quasi comatae conspicuntur; cum potius secundo  
 articulo subtus additae haereant; tertius articulus et deinceps  
 vnguis longe ultra lamellas prominet; atque ipse digitorum ar-  
 ticulus secundus cuticula squammata vestitus liber, nec intra la-  
 mellas conditus, ut in pictura, decurrit. Gallus De la Cepede  
 non vifam lacertam verbis ipsis Linnæi descripsit, et cum Dau-  
 bentono *large - doigt* appellauit. (p. 263) Picturam Sebanam  
 elegantem I. tab. 32. fig. 3. huc referre non dubito. Lacerta  
 vocatur Ceylanica maculis albis et nigris notata. Addit descrip-  
 ptio nimis breuis squammas minutas dilute cinereas, maculis ni-  
 gris, in capite puncta albantia; per dorsum ad caudam lineam  
 denticulatam excurrende. Pictura digitos vtrinque quinos vu-  
 guiculatos, articulis penultimis latioribus sicut. Color cum  
 meo exemplo conuenit, in quo praeterea squammas ventris  
 maiores oblongas per verticulos dispositas vidi. De pictura Ed-  
 wardiana apud Seeligmann T. VII. tab. 35. dubius haereo, quo-  
 niam artus breuiores apposuit, et si digitorum articuli penultimi  
 latiores adsunt. Denique omittere religioni mihi est picturam  
 principalis lacertae, quam ex Plumeriana Blochii mei Collectio-  
 ne depromtam dedit Bonaterre tab. 17. fig. 2. Verum manus  
 Plumerii praeter verba: *Lacertus chamaeleontides*: picturae ge-  
 minae coloribus nondum absolute nihil adscriperat. Falsum  
 est, quod Abbas posuit; *les pieds ont cinq doigts élargis sous cha-  
 que articulation*; nam pictura Plumeriana articulum ultimum  
 crassiorem sicut et latiorem; quod si vera esset oratio Gallici Ab-  
 batis, aliena esset a principali Linnæi lacerta. Propter gularis  
 vesicae radiatae cristam anteriorem dubitauit hanc picturam Plu-  
 merii ad principalem referre; quod si articulis digitorum la-  
 mellas similes stellionum foliis additas animaduerteret, profecto  
 esset mirandum nisi egregii incomparabilem diligentiam et dex-  
 terit.

P. 263

teritatem in hac singulari digitorum fabrica subito defecisse! Poterat Abbas eodem iure ad principalem referre picturam cuius fui De la Cepede in tab. 27. p. 397. quae digitorum articulos extre mos pafliter habet latiores, in notitia ipsa non memoratos. Sed in pictura nimis et minuta et, ut pleraque omnes sunt, artificii Galli gloria indigna, reliquias notas non magis agnoscere licet quam in notitia non satis caute ex variis Itinerariis collecta. Ceterum etiam hoc principalis lacertae exemplo constare poterit lectoribus, quantum errorum historiae amphibiorum naturali adeoque nouae Systematis Linnaeani Editioni inuixerit vel imperitorum pictorum negligentia vel virorum doctorum in colligendis comparandisque scriptorum priorum locis et notitiis non satis exercitata levitas, quae specierum numerum auxit, quo facilius opera ponderandorum singulorum Linnaei verborum et characterum supersedere possit. Vno alteroque etiam exemplo ex opere Galli De la Cepede petitio breuiter defungar. Lacer tam is dracaenam Linnaei nobis promittit et pingit in tabula XVI. quae plane est bicarinata Linnaei, cuius pictura accurata hucusque caruimus. Quapropter imprudentiae Galli gratias agendas potius quam levitatem eius taxandam esse censeo. Contra mihi videtur de loco, ubi Linnaei errorem de lacerta sepe arguit, quam ipse rimatus plane conuenire cum Linnaeana notitia reperi, toto vero, quod aiunt, coelo differre a lacerta descripta et picta a Gallo.

Atque haec de genere et historia stellionum dixisse abunde sit, vt pateat, recte a me cum iis comparatum fuisse graecum ascalaboten, coloten, galeoten, latinumque stellionem. Ipsam tamen speciem eam, in qua guttarum seu stellarum similitudinem sibi animaduertisse visi sunt veteres scriptores, nondum agnoscere mihi licuit. Exempla enim horum animalium, quae ad curiosos naturae rerum scrutatores perforuntur, exsiccata fere aut vinaceo aliquo liquore macerata omnique colorum varietate vt plurimum exuta conspicuntur, vt de nativa eorum pulcritudine difficultimum omnium sit iudicium. Reliquae vero narrationes antiquae porro neminem morabuntur, nec indigent longiore interpretatione vel mea vel aliena.

Paene

Paene oblitus eram admonere de lacerta caudinerbera  
 Linnaei, quam Seba ipse forma Geckoni valde similem esse pro-  
 nunciauit. Scilicet is primus reptile hoc animal descripsit et satis  
 accurate pinxit II. tab. 103. fig. 2. cuius auctoritate confisus Lau-  
 renti p. 34. locum bestiae inter Salamandrarum et Geckonum ge-  
 nus medium dedit. Seba caput superne tenuibus squammis ve-  
 flitum, nasum paulo grandioribus, corpus supra squamarum  
 expers, glabrum, saturate luteo colore et flosculis albicantibus  
 quasi hexapetalis in medio rubicundis variegatum annotauit.  
 Hos pictor instar squamarum hexapetalarum pinxit; mihi vi-  
 dentur imitari scutula in Geckonum corpore conspicua. Cauda  
 dilutius lutea, maculis dilute rubellis notata, vtrinque in latere  
 pinnam corallinam incisam gerit lobis versus finem crescentibus.  
 Crura pedesque tessellatis squamis vestiti, concolores corpori su-  
 perno, rubris maculis variegantur. Digihi vtrinque quini aduncis  
 vnguis armati, membrana iuncti, in anticis pedibus breuiore.  
 Pictura ultimi digitorum articuli membranam lato rem et orbicula-  
 tam fissit, ut in Geckone. Lingua crassa lata; dentes minuti, cre-  
 bri; auriculae profundae; collum breve, crassum, quasi stru-  
 mosum. Ipse Seba distingui voluit suam lacertam a simili, quam  
 descripsit et pinxit Gallus Feuillée Obseru. II. p. 319. Haec se-  
 cundum Galli narrationem longa erat pollices 14 cum lineis 7,  
 colore nigra in coeruleum indicum transeunte; palpebrarum et  
 abdominis color ardesiae similis erat. Cutis absque squammis,  
 sed granulata ut in chamaeleonibus, caput altum, rostro acuto,  
 ante frontem in summo capite crista vndata exorta ad extremam  
 caudam decurrebat, in cauda multo altior; nares patentes cir-  
 culo carnoso cinctae, oculi magni, longi magis quam lati, cro-  
 cei, pupilla coerulea; os armatum duobus ordinibus dentium  
 minutorum, acutorum; et paulum aduncorum; lingua lata,  
 crassa, rubra, adnata palato; sub qua struma exstatab inflatalis.  
 Digits anteriores et posteriores membrana iungebat; articuli  
 postremi membranam lato rem orbiculatam gerebant, exstante  
 crista vnguis vicem gerente; (*et relevé par une crête, qui leur tient  
 lieu d'ongle*) vnde intelligitur vngues in vagina conditos exstare  
 super extremis digitorum articulis, velut in stellionibus aliquot an-

notauit. Cauda ab initio rotunda sensim fiebat latior, spatulae aut palmae remorum instar, ita ut pollicum 2 latitudinem aequaret, fine rotundior: e, margine caudae vtraque incisa, desuper exstante crista vndata. In aqua fontana repertum animal proficitur Feuillée; aurium non meminit, et pictor pariter eas omisit; contra Seba cristam omisit. Galli notitiam repetit Molina Histor. natur. Chilensis p. 191: sed is mentionem cristae et vnguium oratione sua corrupti atque obscurauit; praeterea auribus carere animal dixit, quod an vnquam ipse viderit, vehementer dubito. Certe Vidaure, cuius libellus de historia naturali Chilensi totus translatus fuit in recentiorem Itali Molina, additis commentitiis Linnaeanis definitionibus, de hoc et reliquis Molinæ amphibiis animalibus plane facet. Seba colore nigro et caudæ forma lacertam Galli a sua distinxit; Gallus Salamandram ipse nominauit. Nihilo tamen minus Linnaeus vtramque auctoritatem lacertæ caudiueterberæ apposuit; quod nomen aequem mereatur simillimus caudæ planæ digitorumque forma Stellio fimbriatus a Gallo De la Cepede descriptus. Iterum seu unxit nomine diuerso apposito vtramque lacertam Laurenti; alteram alterius varietatē esse voluit nupera Systematis Linnaeani Editio. Gallus De la Cepede omnem animalis notitiam, appositis licet locis eius sui Feuillée et Laurenti, plane peruerit. Scilicet is necio quo glaucomate oculis fabito oborto in Systemate Linnaei Sebani Thesauri Tomum I. eiusque tabulam 103. fig. 2. laudatum legere sibi visus est, cum Linnaeus laudasset eandem tabulam ex Tomo altero. Picturam igitur Sebanam, quam tamē ipse suo errore retulerat ad lacertam caudiueterberam, improbavit, et recte quidem, eiique alteram eiusdem Tomi in tab. 106. fig. 1. exstantem substituit, quae Crocodilum Americanam plane expressit, atque ad eius notitiam recte fuit relata a Laurentio. Cui errori sane grauissimo similes plures reperi in libro Galli, quos tempore opportuniore alibi coarguam. Breuiter dicam, quid mihi de lacerta caudiueterbera videatur, quam praeter Sebam et Gallum Feuillée a nemine visam existimo. Ea mihi quidem videatur pertinere ad genus Stellionum, omniumque maxime fimbriato affinis naturae rerum operanti gradum struere ad formam

mam Salamandrarum effingendam transeunti; nec dubito, fore, ut qui iconem Sebanam cum altera Galli Feuillée atque utramque notitiam accurate comparauerit, sententiae meae accedat, utique si naturam et formiam pedum digitorumque stellionis perfolati rite perspectam habuerit. Hunc eundem stellionem intelligi puto, quem Index Musei Edleriani Lubecae anno 1782 vendendi memorat his verbis ad Num. 64. *Geckonis noua species cauda bulbosa.*

Absoluta stellionum historia quicquid chartarum spatii superest, id lucrificiam ad corrigenda atque explicanda aliquot Speciminis prioris loca, ubi fide aliena confusus partim cauere non potui errores, quos propria cura et diligens animalium inspectio et dissecatio deinde emendare iussit.

Quae de positu pedum transuerso atque incessu obliquo reptilium animalium exposui auctore Aristotele, vera quidem sunt de classe tota amphibiorum horum animalium; genera tamen singula distinctione aliqua indigent. Latine vatii et graece βλαυσοί propriè dicuntur, quibus crura a genibus usque extorum conuersa sunt, et curvata; vari contra, graece φαύβοι, quibus crura introrsum flexa sunt. Festus grammaticus valgos interpretatur, qui diueras suras habent, contra varos, qui crura incurua. Scilicet reptilia animalia, quae cauernas habitare solent, artus non ad perpendicularum corpori suppositos, sed extra appositos, humilesque gerunt, ita ut dum ingredi volunt, humeri retrorsum, femora antrorsum attracta ipsum corporis pondus fulciant, crura cum pedibus extorum extensa et retrorsum mota molem omnem promoueant, et tota fere longitudine sua terram radant et quasi verrant. Hunc incessum positumque pedum Aristoteles βλαυσὸν vocare solet. Haec causa est, cur genera haec animalium retrogredi, nisi conuersa, non possunt; quod facere quadrupedes alias videmus. Praeterea in ranis et bufonibus tibiae, magis etiam digiti pedum anteriorum, introrsum conuersi conspicuntur, ne latius dispansi saltum a posterioribus artibus multo longioribus profectum impediatur, quamquam bufonum genus saltus minus conspicuos edere solet. Igitur genus vniuersum ranarum et bufonum, cuius historiam literariam in

Commentariis ad Nicandri Alexipharmacorum enarraui, recte simul vatium et varum (*βλαστὸν* et *γεωβόν*) dici potest. Scilicet ab artuum positu et forma facilitas saltandi pendet in hoc genere velut in lepore, cuius artuum ad saltum egregie accommodatam naturam his verbis descripsit Xenophon de Venatione cap. 5. Crura anteriora esse ait leuis, exiguo intervallo disiuncta; (*σύγιαλα*) pedes ipsos flexiles seu molles, rectos et angustos; contra crura posteriora multo longiora anterioribus et paulum extrosum conuersa, partes infra crura positas (*ποκάλια*) longas et firmas, pedes ipsos compactos et latos. Addit in ipso incessu, qui per saltus fit, posteriores pedes anteriorum vestigia supergressos extra eadem et iuxta collocari; eamque pedum positionem a lepore currente manifesto signari hieme in niue. Eandem verbis diversis enarrauit Pollux Onom. V. sect. 13. qui crura posteriora *βλαστὰ* vocavit. In ipso saltandi conatu corpus contrahitur, dorsoque incuruato posteriorum artuum longitudine omnis subito explicata molem corporis antrorum propellit et quasi eiacylatur. Idem dorsum incuruari necesse est in rana aequa ac lepore, dum animal in artus posteriores residens prioribusque simili innixum conquiescit. Tunc vero singularis ossis coccygis cum sacro in stylum longum coalescentis fabrica speciem dorsi angulati spectatori ignaro praebet. Coccygis os longum anno ipsi imminet, et in fine pelvis inter acetabula et commissuras femorum plane contiguas recumbit, caetera laxum et mobile, quod cum ipso os sacro permuteauit Cel. Blumenbach Osteolog. p. 305. Dum vero corpus contrahitur et dorsum incuruatur, ex situ plano os istud in verticalem atque obliquum transfeatur, atque ita dorsi partem posticam specie miranda angulorum protuberare facit. Causam mutatae dorsi formae cum ignoraret aut non cogitaret Linnaeus, in eum errorem delapsus est, ut mutationem formae temporaneam characteris specierum vices gerere vellet. Itaque temporariae ranarum dorsum planiusculum subangulatum, esculentiae corpus angulatum, dorsum transuerse gibbum attribuerat. Auctoritas Linnaei in eundem errorum pertraxit Laurentium, qui, cum genera Linnacana rectius ordinare accuratiusque distinguere species conatus esset, generis adeo ranarum notam esse voluit

(p.

(p. 29) dorsum transuerso gibbum, seu spinam ad lumbos articulatam, tuberibus duobus transuersim positis. Hoc tamen reclus, quam Linnaeus, fecit, quod vniuerso generi adscriptis notam, qua Linnaeus singulas aliquot species distinguere voluerat. Obiter addo in Codicibus Nonii grammatici p. 4. ed. prioris Mercerium hanc notam reperisse adscriptam: *Vatrax tortis pedibus, a ranæ vocabulo, quae graece batrachos dicitur*: quam verbis diuersis retulit ad lacertae genus Isidorus Orig. XII. *Batrax dicta, quod ranæ habeat speciem.* Nam graeci ranam βάτραχον. Sed ex illo loco Vincentius Sp. nat. XX. 55. bis posuit *Batracha*; cap. autem 56 locum Gallici scriptoris et Physiologi posuit, vbi *Borax* ad bufonum genus refertur. In hymno Homericō in Mercurium testudo σαύλα βούειν dicitur, ita ut incessus lento significetur. De equo Simonides eadem dictione usus, incessum mollem et delicatum equi expressit. Omissus igitur erat locus iste, in priore Specimine positus.

Lacertarum classis miram formae varietatem in pedum fabrica ad natatum, reptatum, etiam supinum, gressum, saltum et scansionem accommodatorum ostentat. Paucae artus posteriores anterioribus aequales, plures posteriores gradatim longiores habent, ita ut formam pedum Ieporiorum et generis Iaculatorum reddere videantur. Eadem varietas in digitorum forma, mensura et positione conspicitur, maior omnino, quam ut verbis eam hoc in loco complecti atque enarrare possim.

Serpentum incessum ita explicavit Albertus in versione libri Aristotelici de Anim. Incessu p. 130. ed. Lugd. *Quae vi costarum se regunt, nunquam simul eodem latere nituntur moueri, sed extendunt unum latus et figura costas illius trahunt alterum, et trahunt etiam illud, et sic de latere in latus mouentur.* Huius autem signum est, quia valde curuum habent incessum et non curvantur ad unam partem tantum, sed modo in unam et post in alteram sicut homo qui ponit se ad ventrem, et sine adiutorio manum et pedum nititur moueri; ille enim omnino moueri non potest nisi extrudendo latus unum primo et trahendo aliud post illud. Costorum autem mobilitas iuvat ad motum, quia per illas figuratur qudecunque latus est extrusum. Quaedam autem quasdam circulatorum habent portiones in lateribus

*extra, et sunt quasi quaedam squamiae, et his mouentur non quidem motibus existentibus, cum sint insensibiles partes illae, sicut vngulae animalium et squamiae pisium, sed mouentur extrusione laterum, ut diximus; et latus extrusum figurant portionibus circulorum, quae sunt in lateribus suis, et sunt talia multa serpentum generis, quae sic mouentur. Idem paulo antea: Quaedam mobilitate costarum repunt sicut serpentes quidam, quaedam autem repunt semicirculis quibusdam in latere suo dispositis ex utraque parte. In genere Boarum Linnaei, quos antiquo nomine Dracones appellare malo, accedunt duo aculei ad anum utrunque appositi, cornae retractiles, costis extremis annexi, quos a Linnaeo ceterisque methodicis scriptoribus historiae naturalis serpentum omissos miror, eo quidem magis, quod reliquias huius generis notas a viris doctis hucusque indagatas, plerasque omnes vel incertas vel plane falsas esse manifestis rerum argumentis demonstrare possum. Qua de re alibi accuratius disputabo.*

Antiquissimum testimonium reperi Marci Pauli Veneti, qui Boas Asiaticos iuxta anum appositos gerere ait vngues similes illis quos genus leonum et falconum habeat. Vide eius Itiner. in Collectione Galli Bergeron p. 95. Pedum vices gerere addit Marcgraf in Histor. natur. Brasiliæ p. 239. eosdem memorat ante annum positos, et cum aiuum vnguibus comparat. Bosmann in Descriptione Africae p. 324. vers. germ. caudæ apponit pedumque duorum spatio distare utrumque ait. In Itinerario Berkelii nuper edito p. 255. idem genus serpentum mentione cornulum caudæ appositorum dentiumque caninorum longorum signatur. Denique omnium accuratissime memorauit usumque simul coniectura assequi conatus est Brown Histor. Iamaic. p. 461. cuius ipsa verba ponam. *They have a horny protuberance on each side of the anus which probably assist in the acts of copulation, and help them in climbing trees, which they often do.* Verum priorem coniecturam de usu aculeorum horum ad coitum adiuuandum accommodato resellit eorum natura et positio, quippe qui cum postrema utrunque costa continuati, ossei, et corio quasi corneo vestiti, ubi extra corpus eminent vnguium instar, alteram Britanni opinionem potius confirmant, atque iuuare incessum serpentis enormis arbo-

arbores saepe scandentis atque inde animalibus praeter euntibus infidiantis videntur. Ad boarum genus pertinent serpentes, quas sub nomine Indico Iauanensium *Petola* notauit Valentyn Histor. Amboinen. t. III. p. 285. seq. vnde partem narrationis fabulosam tantum translatam legimus in *Beschr. und Geschichte von Batavia*, Lipf. 1786. T. IV. p. 189. Has serpentes iuxta anum gerere ait Valentyn tubercula duo, (*knobbelkens*) sub quibus vngues totidem conditi lateant; in pectore pariter geminos vngues adesse; quibus uti affirmat enormem bestiam dum arbores scandit. In corpore exanimato raro conspici addit hos vngues, quoniam sub ipsam mortem retracti intra squamas recondantur. Quod verum esse ipse agnoui in plurimis boarum exemplis, vbi nullum vnguium vestigium conspicere potui, donec in grandi Musei Rebelliani exemplo seruato in liquore vinaceo semel fine paulum eminentes extra squamas inuestigauit, postea fede eorum cognita facile vel latentes intra squamas indagauit, et in veris boarum speciebus omnibus, quas tractavi, adesse vidi. Quo in vestigio deinde plures serpentum species, notis Linnaeanis boarum plane carentes, persecutus oculis et scalpello, eodem vnguium adminiculo incessum adiuuare cognoui adeoque ad boarum genus pertinere, quo cum etiam reliquis formae notis, quas Linnaeanis substituendas censeo, plane conueniebant. Linnaeanis notis formam capitidis vtrinque compressi atque in rostrum producti addidit nuper Britannus Gray Philosoph. Transact. Vol. 79. P. I. p. 21—36. qui reliquias omnes species praeter contortricem Linnaei dentibus veneniferis carere affirmat. Possem aliam addere serpentem plane omnes notas boarum Linnaeanas reddentem, sed dente minuto venenifero armatam; quam tamen dissectam vnguis analibus carere, atque ad longe diuersum genus pertinere reperi. Qui Boas Linnaei in duo genera discepit Laurenti, Boam et Constrictorem appellans, multo magis a forma vera et natura harum serpentum aberrauit. Breuiter ut dicam, neminem hucusque reperi, qui nota generis certissima a scriptoribus vetustioribus et nulli methodo additis annotata vñus sit ad genus difficile extricandum; quamquam vñus eius nisi in integris et liquore vinaceo conditis bestiis paulo grandioribus nullus

nullus esse potest. Quae enim vulgo in Museis afferuari solent exempla boarum, pro portione reliquarum serpentium satis ingentia, potius recens editos foetus boarum vocare atque agnoscere licebit ex folliculo vmbilicali adhaerente, vel certe lumine abdominis vmbilicali adhuc aperto. In spoliis autem ingentium Boarum, quae afferri ad nos et in Museis seruari solent, praeter squammarum formam atque ordinem, nihil facile distinguere licet; vngues enim ipsi cum costis, quibus adhaerent, destringi solent. Denique serpentem *Boiguacu* parte corporis anterieore erecta posteriorem firmare vtroque caudae vngue tradit Piso Hist. nat. Brasil. p. 277. Tandem incidi in picturam Collectionis Principis Mauritii supra memoratae T. II. fol. 434. vbi redditur imago Boae alicuius, quem titulus *Liboyuçu* nominat, vnguis analibus exstantibus. Videtur eadem esse species, quam Piso p. 276. *Boiguacu* sive *Liboya* vocauit. Ceterum colorum varietas plane eadem est vt in tabula XVI. Galli de la Cepede.

Redeo ad opinionem Britanni Brownii, qui vngues analoges Boarum generationis instrumenta annumerandos esse suspicatus erat. Quae coniectura, eti vana, facile tamen in mentem potuit venire viro docto, qui gemina serpentium genitalia, spinis mollibus aspera, libidine aut mortis aliqua violentia, vti solent, protrusa atque exstantia vnam vidisset. Multo magis mirarer a leuissimo homine, Sandero, in relatione de serpentibus Syluae nigrae inserta libro vernaculo: *der Naturforscher*: genitalia habita et memorata fuisse veluti rem mirandam pro ipsis serpentum pedibus, nisi eorundem exstantium speciem insolitam imposuisse ipsi adeo accuratissimo Swammerdam vidisset. Is enim in Bibliis Naturae T. III. p. 739. edit. principis, serpentum genti universae quinque generum instrumenta pedum vices gerentia assignat. Primum genus contineri appendice aculeata singulare, medium ossiculum cum ossibus pubis continuatum gerente; alterum gemina appendice aculeata figurari; maioremque incidenti bestiae celeritatem addere. Reliquae tres formae manifesto a chalcidibus, salamandris atque aliis lacertis translatae sunt, nec ullam dubitationem habent. Primum vero genus pertinere videatur ad speciem aliquam serpentis, quae singularia gerit genitalia

acu-

aculeata; qualem Gronouio viperam describenti fidem adhibuerunt Laurenti p. 19. et Hermann Comment. Tabul. Affinit. p. 265. Evidem hoc testimonio confidere nolle, nisi maior Swammerdammii auctoritas accederet!

Ad pag. 7. addo *φολίδα* Plinium multis in locis interpretatum esse latine *corticem*; quo vocabulo porro mihi licebit ut, cum aptiore lingua latina caret.

Ad p. 17. Membranam nictitantem in Crocodilo Aesgyptiaco recte annotauit Plutarchus de Iside p. 498. ed. Reiskii his verbis: *μόνον δέ Φασιν ἐν υγρῷ διαιτημένα ταῖς σύγκεισι υμέναι λεῖον καὶ διαφανῆ παρακαλύπτειν ἐκ τῆς μετώπτης κατερχόμενον, ὡς εὐθέτειν μη βλεπόμενον.* In Americano subeuntem a cantho oculi maiore ad minorem seu exteriorem et posteriorem egregie pinxit Plumier in Iconibus ineditis apud Blochium. Demum in lacer-tis nostris vulgaribus eandem membranam vidi oculis obductam, cum viuarum oculos vi aperire; nec aliter eam nisi cum palpebra vtraque clausa obducere oculis mihi videbantur.

Ad p. 19. Postquam lacertarum inimicos acaros ipse vidi, statim in pictura Sebana formam acarorum agnoui. Itaque de genere insectorum porro non dubito; et Iguanae acarum iam annotauit Fabricius.

Ad p. 26. Oloolygonem rubos habitantem facit Agathias Epigr. Analector. T. III. p. 42. no. 25. eique sonus aliquis adscribitur verbo *τρυζεῖ* i. e. stridet.

Ad p. 32. Dubitavi serpentum et lacertarum generibus eam facultatem assignare, qua cibos ingestos reiucere possint vomitu. At viperæ gallica præsente Charras lacertam ingestam reddidit. A crocodilo Americano redditas mergorum plumas et testudines deuoratas testatur Plumier. Serpentibus quidem facilitatem eam dare videtur corporis flexilitas, quae eadem deglutitionem etiam adiuuat.

Vomitum serpentum confirmant experimenta a Spallanzani de Concoctione p. 121. vers. germ. instituta. Sed is ossa adeo in ventriculo serpentum deminui atque dissoluti affirmat. Credarem viro sagacissimo, nisi eundem in natura serpentum, in quibus experimenta sua instituit, annotanda pluries a vero ab-

errasse viderem. Nominat is praeter Colubrum natricem et viperam Italicam speciem nouam in Italiae regionibus quibusdam Smiroldo a smaragdi colore, ut suspicor, dictam; quae eadem est cum serpente Galliae etiam incola, primum accurate descripta et picta a Gallo De la Cepede p. 137. tab. VI. fig. 1. Hanc vero a colubro natrice Linnaei Italus distingui voluit dentium praesentia, quibus ait carere natricem, adeoque praedam integrum nec in frustra disceptam manfamue ingerere. Quae viri egregii oratio omnino falsa est; matrix enim eandem dentium formam ori innatam gerit, quam reliqui colubri innoxii; nec vlla serpentium species reperitur, quae praedam disceptam commansamque ventriculo ingerat.

Quem supra in Stellionum historia Cornarii galeoten graecum latine felem interpretantis in Paulo Aegineta accusati errorem, poterunt qui volent excusare auctoritate Plinii 19. f. 20. qui vbi locum Aristotelis de pico conuertit, haec posuit verba: *Quo in genere arborum cauatores scandentes in subreptum felium modo: illi vero et supini, percussi corrictis sono, pabulum subesse intelligunt.* Ceterum hunc locum a librariis luxatum ita cum Pintiano restituendum et curandum censeo, vt totum legamus: *Sunt et paruae aues vncorum vngium, sed in auspiciis magnae. Quo in genere pici Martii cognomine insignes, arborum cauatores. Illi vero et supini scandentes in subreptum felium modo, percussi et rel.* Pintianus etiam felium vocabulum mutari voluit in *stellionum*; et sene in loco Aristotelis nomen stellionis est graecum ascalabotes; quod si esset ibi alterum galeotes, tum facilius poteras Plinii errorem eiusque caufam suspicari. Philosophi narrationem repetit etiam Auctor mirabil. narration c. 12. p. 34. edit. Beermann qui picum ait per arbores incedere stellionum instar, και οπτιον και επι την γαστρα i. e. supinum et in ventrum; quae verba recte Conr. Gesner interpretatur ita, vt supinus incensus dicatur, cum picus dorsum deorsum ventrem vero fursum conuertit arborem scandens.

Cornariano similem Camperi errorem indicare non erubefco. Erat enim viro illi eximio, quem inter amicos meos numerare sub finem eius vitae mihi fortuna exoptatissima contigit, aequalis cum veri amore libertas sentiendi; facileque alter feni-

tientes non solum ferebat aequo animo, sed ipse etiam ingenio et acumine suo acuebat, et primus et lubens inuento ab alio, quod ipse quaesuerat, vero, applaudebat, nec aegre a sententia sua decedebat. Ille igitur Philandri animalis notitiam dum orbi nostro vindicare adeoque veterum scriptorum graecorum seculo assignare conabatur, loco Plutarchi de Philostorgia vſus est, (p. 494. ed. Xylandri) vbi virum egregium ſefellit latina verſio, graecum galei, e ſqualorum genere pifcis, nomen *felem* reddens, cuius ſimilitudinem vocabulum graecum in ſola coloris varietate repreſentat. Mihi quidem certum Philandri uestigium in ſcriptis veterum vel graecis vel latinis nondum indagare licuit. Locus autem Camperi exſtat in germanica versione. *Dissertationum de Simiarum, Rhinocerotis etc. Anatomia p. 17.*

Atque hic finem ſcriptioni impono, quam Tu, Vir do-  
ctissime, nomini praecipue inſcribendam censui, vt ſcripto ſaltem conſignatum Tibi traderem, quod ipſe ante hos duos annos, cum Lipſiam ex Muſeo Dredenſi Electorali ad egregium Tuum rerum naturalium theſaurum impiciendum conuolarem, Tibi tum abſenti verbis coram exprimere non potui votum. Ignotum Tibi vix potest eſſe ſtudium meum, quo Te-  
ſtudinum historiam naturalem enarrare conatus sum; nec poenitet me operae iſtius, qua viam ſtraui viro docto Teſtudinum no-  
titiam iconibus accuratis illuſtrandum cum maxime molienti.  
Exinde reliquam Amphibiorum turbam Linnaeanam inueſtigare  
atque explicare aggressus sum; quorum conatuum hoc alterum Specimen nunc prodire in publicum iuſſi, quo melius Tu Tuique ſimiles viři docti exiſtimare poſſint, quo potiſſimum viam et conſilium meum direxerim. Smil autem volui Te Tuique ſimi-  
les viros doctos rogaro, vt fi conſilium meum, eaque ratio,  
qua in Stellionum historiam enarranda vſus sum, iis non displicuerit, ſtudium meum et conſilio et re iuuare dignentur, viresque  
ingenii et copias suas mecum ad incrementa historiae et philoſo-  
phiae naturalis conferant. Centum et viginti ſunt anni, ex quo  
primum Lipſia, patriae meae ocellus, laude effloruit aui Tui,  
theſaurique rerum naturalium, quam pater Tuus libro egregio  
de Stellis marinis auxit, Tu vero concinmando Indice Muſei

Linekiani eo vsque propagasti, quo humanitatis eius; quam per  
regrinis spectatoribus Musei nunc Tui praestare soles, fama per-  
uenire non potuit. Eandem in auo Tuo Scheuchzerus exper-  
tus cum orbe litterato primus Serpentium multarum icones ex  
pieturis, impensis curaque aui Tui factis, translatas in Physica  
Sacra communicavit, quae quidem Linnaeanis, ad quas viri  
docti plerique ad hunc vsque diem notitias harum bestiarum re-  
ferre soliti sunt, diligentia interdum cedunt, vniuersa autem arti-  
ficii elegantia omnes antecedunt. Postea Belga Seba thesauri  
sui copias publicauit; sed ne is quidem Scheuchzerianas icones  
numero quanquam vietas superare elegantia potuit. Itaque laus  
et gloria Musei Tui atque iconum Scheuchzerianarum per tot  
annos integra manfit, nec vlo peregrino artificio fuit obscurata,  
ita vt Laur. Theod. Gronouius et Ios. Nic. Laurenti aequalem illis  
auctoritatem cum Sebanis et Linnaeanis tribuerent, multisque  
adeo in locis easdem praeferrant, aut solas adhiberent, vbi reli-  
quae viros doctos destituerant! Quod autem ipse noui Systemati-  
cis conditor Linnaeus Scheuchzeri auctoritatem nusquam adhi-  
buit, id potius propter raritatem Physicae Sacrae in patria eius  
vel ignorantiam theoris linguae (quanquam et gallica conuersus  
exstat liber) quam vlla alia ex causa factum interpretari debe-  
mus. Hoc tamen Linnaei silentium effecisse videtur, vt tam  
pauci in ipsa Germania nostra opus eximium noscerent atque  
icones amphibiorum egregias compararent. Quarum ad utilita-  
tem maiorem pertinere atque adhuc desiderari posse mihi vide-  
tur illud vnum, vt viri alicuius docti solertia non solum ipsa pi-  
cturarum archetypa cum picturis comparet, sed etiam breues  
nimis Scheuchzeri et laxas serpentium notitias legibus a Linnaeo  
aut potius ab ipsa natura statutis adstringat, notas corporis omnes  
diligenter colligat, cum notitiis et picturis Sebanis et Linnaeanis  
singulatim contendat, et tandem bestiis ipsis earumque picturis  
nomina Linnaeana et Sebana accommodet, aut nouis noua no-  
mina imponat, de dubiis lectorem ad moneat! Qua quidem in  
opera quanto ingenii acumine, quam longo vsu tractandorum  
huiusmodi animalium, quanta denique cautione opus futurum  
fit, ipse, Vir doctissime, vel me non monente, facile intelliges.

In

Ingenia curiosorum primus acutus Linnaeus ad inuestigandas corporum naturalium atque animalium notas; verum postquam accedente philosophia et zootomia pomoeria scientiae naturalis multo latius promota fuerunt, raro curiosorum lectorum desiderio satis faciunt breues amphibiorum notationes singulis speciebus in Systemate Linnaeano appositae. Itaque mecum optatus esse credo viros doctos, ut tandem exoriatur aliquis disciplinae Linnaeanae alumnus, qui eo operam ingeniumque suum conferat, ut exempla amphibiorum ab ipso Linnaeo olim inspecta et nota recognoscat omnia, praecipue tamen illa, quorum picturas nullas posuit, vel quorum notitias ab amicis et discipulis transmissas postremis Systematis Editionibus inferuit! Autem enim postea amphibiorum cognitorum numero, plures formae notas cum pluribus speciebus communicari fuit necesse, quas ille quibusdam proprias putauerat; plures etiam omisisse illum probabile est obscuras in exemplis iunioribus vel vinaceo liquore nimis maceratis, vel contempsisse adeo velut inutiles, dum ipse nimis seutorum numero confidebat, quas deinde in adultis et recte conditis exemplis eminentiores obseruauit curiosorum diligentia, vel assumere inuestigatas coegit dubitatio et criteriorum Linnaeanorum cognita vanitas. Quod nisi sit, prope adest, ut verear, ne breui omnis Linnaeani Systematis auctoritas in enarranda serpentium historia naturali plane, ut in metallorum historia factum est, euilescat. Compages quidem totius fabricae iam omnes in postrema Editione solutas esse video, atque ipsa fundamenta eo inclinare mihi videntur, ut ruina aedificii sit timenda. Interim ipse omne subtractionis genus experiar, et quantum in me est, partes aedificii labantes fulciam, quarum deinde materiem omnem transferre poterunt ingenia felicia ad exstruendum Systema nouum, ubi collectas vndique et communis virorum doctorum solertia accurate digestas atque explicatas copias recondere et publicae admirationi exponere possint. Haec tamen Tibi, vir doctissime, votum meum exposui; cuius partem eam, quae ad Musei Tui amphibia atque icones Scheuchzerianas pertinet, utnam ipse exequendam suscipere, atque hunc veluti cumulum laudibus edito Indice Musei Tui partis addere digneris! Ita enim fiet,

fiet, vt non solum memoriae et gloriae aui Tui apud posteritatem consulas, sed etiam seculi nostri studium cognoscendae amphibiorum physiologiae cupiditate vix demum incalescens exemplo Tuo incendas, et certa notitiarum fide atque auctoritate iconum Scheuchzerianarum elegantiae adiuncta scientiae naturalis incrementa promoueas atque augeas. Quam lubens ipse me Tibi laboris fructuosi socium adiungerem, nisi locorum longinquitas hanc mihi laudis communionem denegaret! Hoc tamen interim facile me ab humanitate Tua impetraturum esse spero, vt archetypas Amphibiorum Musei Tui picturas beneuelle a Te transmissas cum expressis inde iconibus Scheuchzerianis comparare mihi liceat. Neque enim plane despero vel ita efficere me posse, vt si viribus ingenii ab vsu et consuetudine horum animalium noscendorum non plane destituti omnibus connitar, species nouas vel dubias, vel cognitarum varietates ad certiorem historiae fidem describendo adducam. Plura de me ipso animique mei voluntate in Te addere pudor meus vetat; itaque vale, Vir doctissime, meque et studia mea vt benevolentiae Tuae commendata habeas etiam atque etiam rogo.







*P. 5143 a.*


ULB Halle  
007 246 218

3



V P 18

*m. 5.*



B.I.G.

Black



2

AMPHIBIORVM  
PHYSIOLOGIAE  
SPECIMEN ALTERVM  
HISTORIAM ET SPECIES GENERIS  
STELLIONVM SEV GECKONVM  
SISTENS.

AD<sup>o</sup>

VIRVM DOCTISSIMVM  
JOHANN. HENRICVM LINCK  
SERENISSIMO SAXONIAE ELECTORI  
A CONSILIIS COMMERCIORVM  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM  
SOCIVM et cet.

SCRIPSIT

IO. GOTTLLOB SCHNEIDER, SAXO,  
ELOQVENT. ET PHILOG. PROFESSOR.

EDITIO REPETITA.

ZÜLLICHOVIAE,  
APVD FRIEDERICVM FROMMANNVM.

1797.